This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

A 467154

1837
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

87[illegible].5
L7[illegible]

DE ENUNTIATIS APUD PLAUTUM ET TERENTIUM CONDICIONALIBUS.

SCRIPSIT

CLAES LINDSKOG

LUNDAE
APUD HJALMAR MÖLLER BIBLIOPOLAM UNIUERSITATIS.

1895

LUNDAE MDCCCXCV.
TYPIS EXPRESSIT E. MALMSTRÖM.

Hunc libellum edenti gratum mihi est profiteri, plurimum me debere Carolo Zander praeceptori, qui me et ad hoc opus conscribendum edendumque impulerit et consiliis monitisque optime atque benignissime adiuuerit.

Tum gratias ago maximas Carolo Thulin sodali quod mihi in plagulis corrigendis egregie profuit.

In uersibus afferendis his usus sum editionibus:

T. Macci Plauti comoediae recensuit . . . F. Ritschelius sociis operae adsumptis Gustavo Loewe Georgio Goetz Friderico Schoell.

P. Terenti Comoediae edidit . . . F. Umpfenbach.

Quod criticum adiumentum ex his libris attuli, saepissime ad uerbum reddidi, nullo signo addito.

De enuntiatis condicionalibus apud Plautum et Terentium cum multi iam scripserint, inter quos imprimis nominentur ROTHEIMER [1]), LIEBIG [2]), BLASE [3]), BRUGMANN [4]), LANGEN [5]), haud tamen inutile mihi uidetur esse totam rem denuo tractare. Nam cum Liebig, ad Plauti fabulas perscrutandas omnino non accedens, ex Terentii sex comoediis uix quidquam certi uerique eruere posset, Rotheimer eam ob rem minus profecit, quod exempla critice non examinata secundum tempora et modos disponens neque, quae eiusdem generis sunt, una tractauit et, quae discernenda sunt, saepissime contulit. Brugmann, Blase, Langen uiri summa sagacitate et doctrina instructi cum studia cognitionemque enuntiationum condicionalium pluri-

---

[1]) Rotheimer, De enuntiatis conditionalibus Plautinis. Gottingæ 1876.

[2]) Liebig, Die hypothetischen Sätze bei Terenz. Görlitz 1863.

[3]) H. Blase, De modorum temporumque in enuntiationibus latinis permutatione quaestiones selectae. Argentorati 1886.

Idem: Zur Syntax der Bedingungssätze im Lateinischen.

Idem: Geschichte des Irrealis im Lateinischen. Erlangen 1888.

[4]) O. Brugmann, Über den Gebrauch des condicionalen *ni* in der älteren Latinität. Leipzig 1887.

[5]) P. Langen, Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus. Leipzig 1880.

mum adiuuarint. utinam ne tot tantasque huius generis quaestiones intactas reliquissent! Quarum ad notitiam aperiendam cum hoc meo libello ut proficerem quantulumcumque possem mihi proponerem, minime sane inscius eram difficillimum esse post illos uiros res ab iis relictas inuestigare, ab iis tractatas denuo examinare.

Cum illa dispositio, qua secundum tempora modosque enuntiata disponantur, a re aliena uideatur — qua uia rationeque usus est Rotheimer — restat ut secundum ipsam uim significationemque sententias disponamus. Quod quam difficile sit, facile intelligitur. Nam ut illic — si Rotheimeri dispositione utimur — omnia suum locum nimirum habent, ita hic permulta enuntiata quo loco tractanda sint, ualde dubium est, et restant multa, quae uix, si ad uim sententiamque tantummodo respicias, habeant, quibuscum conferantur. Quae difficultates haud tantae sunt, ut me deterreant a recta quae mihi uideatur uia rationeque; qua iam Brugmann in libro a me supra laudato egregie usus est. Neque ideo quod praeceptis logicae quae uocatur artis fortasse non satisfacit, ea abiicienda est, dummodo ad harum quaestionum meliorem cognitionem deducere possit. Cum autem de his ad ipsam sententiam dispositis generibus enuntiationum condicionalium quod afferendum esse censebo, attulero, tum summatim de modorum temporumque ratione disputabo.

Priusquam autem ad rem propositam tractandam procedo, pauca uerba dicam de iis rationibus, quibus

generatim utendum esse credo in huiusmodi quaestionibus ad priscorum poetarum usum pertinentibus.

Primum igitur moneo, ne nimis metri necessitate coactos credamus priscos poetas leges sermonis uiolasse neue id, quod contra usum antiquorum scriptorum sit, in fabulis ita defendamus uel explicemus, ut metrum hanc illamue formam postulasse dicamus. Ut e multis unum huius peruersae explicationis exemplum afferam, Brehme [1]) (pag. 40) scribit: «Ex his exemplis elucet, poetas metri necessitate coactos in adhibendo futuro exacto ad id licentiae processisse ut futurum exactum non magno discrimine interposito pro futuro I ponerent; quare neminem fugiet, qui illa exempla accuratius exquisiuerit, in iis futuris uulgaris elocutionis uestigia cognosci posse. Atque inueniuntur exempla centum uiginti septem ultimo loco uersuum senariorum iambicorum, ubi integrum pedem poni uidimus, quod per formam futuri exacti fieri potest, non item per futuri primi formam». At eodem iure dici potest atque mihi quidem uerius uidetur esse, eam ipsam ob rem, quod clausulam numerose cadentem egregie efficeret futuri exacti forma, in ipso fine uersus hanc formam posuisse poetas, neque — id quod contendit Brehme — contra usum sermonis metri necessitate coactos futurum exactum pro futuro primo adhibuisse. Conf. infra § 4.

[1]) F. Brehme, Linguarum nouiciarum laxam temporum significationem iam priscis linguae latinae temporibus in uulgari elocutione perspici posse. Gottingae 1879.

Deinde etiam cauendum est, ne nimio ardore omnia ad unam normam dirigendi incensi lectionem librorum manu scriptorum temere mutemus, nisi exemplorum collatorum multitudine aut rationibus perlucidis nitamur. Neque enim ad posteriorum temporum seueritatem leges sermonis priscorum scriptorum constitutae sunt, neque ad concinnitatem perfectionemque illorum linguae hi peruenerunt.

Persaepe iunctura uerborum si quae regulis sermonis repugnare uidetur, facillime explicatur quadam anomalia uel potius breuiloquentia, ut nexu cogitationum quasi interrupto sententiae non satis arte coniungantur. Ita imprimis apud Plautum, ut qui communi consuetudine sermonis populi usus sit, et qui, splendidissimo ingenio excellens, legibus normisque nimis adstringi noluerit, saepe inuenimus sententias, si usque ad uiuum resecamus, male cohaerentes. Quod cum ita sit, arbitror, si per talem breuiloquentiam contextum sententiarum explicare possimus, hanc multo praeferendam esse explicationem ei, quam amant nonnulli uiri docti, ut in hoc illoue uocabulo uim significationemque aegre explicandam inesse uelint.

Denique maxima cura adhibenda est, ut omnia exempla, quae ad quamque rem illustrandam afferri possint, nullo relicto afferantur, nisi et nimis multa sint nec res, iam antea nota, testimonii indigeat; neque enim de ulla re, nisi omnibus exemplis allatis, certe iudicare possumus.

Persaepe enuntiatio condicionalis apud nostros poetas significationem habet minarum, promissi, affirmationis, detestationis.

§ 1. De minis.

Forma maxime usitata sententiae condicionalis, cui minarum uis inest, in his exemplis inuenitur:

Amph. 354. *nisi actutum hinc abis,*
Familiaris, accipiere faxo haud familiariter.
[*accipiere* F: *accipere* BDJZ. *accipe* E]

Amph. 358. *Faciam ego hodie te superbum, ni hinc abis.*
[*ni* Camerarius, cod. Palat. I. *nisi* libri cum Nonio.]

Amph. 360. *Uide sis quam mox uapulare uis, nisi actutum hinc abis.*

Amph. 440. *Nunc quando ego sum, uapulabis, ni hinc abis, ignobilis.*

Amph. 793. *At cum cruciatu iam, nisi apparet, tuo.*

Asin. 471. *Malo hercle iam magno tuo, ni isti nec recte dicis.*
[*niisti* D. *n̈c isti* J. *nunc isti* F. *nunc istuc* Z. Uel *ni isti* uel *isti* Bentleius].

Asin. 474. *Crura hercle defringentur,*
Ni istum inpudicum percies.
[*perties* E. *percuties* JFZ]

Asin. 532. *Nunc adeo nisi mi huc argenti defert uiginti minas,*
Ne ille ecastor hinc trudetur largus lacrumarum foras.
[*defert* LG: *adfert* BD, *affert* E(J)]

Asin. 670. *Atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur.*

[*confricantur* aut *confringantur* libri]

Asin. 706. *Demam hercle iam tibi de hordeo, tolutim ni badizas.*

Aul. 445. *Ita me bene amet Lauerna uti iamiam, nisi reddi*
Mihi uasa iubes, hic pipulo te differam ante aedis.

[*Uti iamiam nisi* Goetz. *te iam nisi* libri cum Nonio. *te iam nisi si* Christius. *ut iam nisi* Ussingius].

Aul. 644. *Atque id quoque iam fiet. nisi fatere.*

Aul. 759. *Iam quidem hercle te ad praetorem rapiam et tibi scribam dicam*
Nisi refers — Quid tibi ego referam? — Quod subrupuisti meum.

Bach. 857. *Iube sis me exsolui cito:*
Nam ni ego exsoluor, iam manufesto hominem opprimet.

[*ni* libri. *nisi* Camerarius].

Bach. 868. *Nunc nisi ducenti Philippi redduntur mihi,*
Iam illorum ego animam amborum exsorbebo oppido.

Capt. 593. *Iam illic hic nos insectabit lapidibus, nisi illunc iubes*
Conprehendi.

Curc. 535. *Nunc nisi tu mihi propere properas dare iam triginti minas,*
Quas ego apud te deposiui, uitam propera ponere.

Curc. 575. *nisi mi uirgo redditur,*
Iam ego te faciam ut hic formicae frustillatim differant.

Curc. 720. *Tu autem in neruo iam iacebis, nisi mi argentum redditur.*

Curc. 723. *Ego te in neruom, haud ad praetorem hinc rapiam, ni argentum refers.*
[*referas* F.]

Cas. 643. *Nam nisi ex te scio, quidquid hoc est, cito:*
Hoc iam tibi istuc cerebrum dispercutiam
[*quidquid hoc scito* B.]

Cist. 522. *Di me omnes magni minutique et etiam patellarii*
Faxint, ne ego oppingam uiuos sauium Selenio,
Nisi ego teque tuamque filiam aeque hodie obtruncauero:
Poste autem cum primo luci cras nisi ambo occidero,
Et quidem hercle nisi pedatu tertio me efflixero,
Nisi tu illam remittis ad me. dixi quae uolui. uale.

Epid. 724. *Numquam hercle hodie, nisi supplicium mihi das, me solui sinam.*

Most. 386. *Iam hercle ego uos pro matula habebo, nisi mihi matulam datis.*
[*datis* B, supra *a* a rubr. corr. *e*].

Mil. 295. *Nam tibi iam, ut pereas, paratumst dupliciter, nisi supprimis*
Tuom stultiloquium.
[*suprimis* B. *supprimas* D. *opprimas* F. *iprimas* Z.]

Mil. 326. *Uae capiti tuo. — Tuo istuc, Sceledre, promitto fore,*
Nisi oculos orationemque alia commutas tibi [*aliam* BCDFZ. *committas* Z].

Mil. 445. *Non omitto. — At iam crepabunt mihi manus, malae tibi,*
Nisi me omittis.

Mil. 453. *Lege agito: te nusquam mittam, nisi das firmatam fidem,*
Te huc, si omisero, intro ituram.

Mil. 501—513. *At ita me di deaeque omnes ament,*
Nisi mihi supplicium uirgarum de te datur

— — — — — — — — — — — —

— — — — — — — — — — — —

(u. 511) *Nisi mihi supplicium stimuleum de te datur,*
Dedecoris pleniorem erum faciam tuom,
Quam magno uento plenumst undarum mare.
[u. 502 insiticium esse eiusque in locum inserendum esse u. 511 Ritschelius putat].

Mil. 1053. *Nam nisi tu illi fers suppetias, iam illa animum despondebit.*

Mil. 1059. *Dixi hoc tibi dudum et nunc dico, nisi huic uerri adfertur merces,*
Non hic suo seminio quemquam porcellum inpertiturust.

Merc. 168. *Hercle uero uapulabis, nisi iam loquere aut hinc abis.*

Pseud. 143. *Nunc adeo hanc edictionem nisi animum aduortetis omnes,*

Nisi somnum socordiamque ex pectore oculisque exmouetis
Ita ego uostra latera loris faciam, ut ualide uaria sint.
[de u. 143 uide infra.]

Pseud. 178. *Nam nisi mihi penus annuos hodie conuenit, cras populo prostituam uos.*

[sic A. Libri praeter A omittunt *mihi*. *Nam nisi mi annuos congeretur penus* Ritschelius duce Prisciano. *Nam nisi mi annuos conueniet penus* idem in adn. *Nam nisi penus annuos confiet* Usenerus duce Plac. p. 29, 13: sed praesens tempus ad usum Plauti est, de quo uide infra].

Pseud. 228. *Nisi hodie mi ex fundis tuorum amicorum omne huc penus adfertur:*
Cras, Phoenicium, poeniceo corio inuises pergulam.
[*inuisus* A].

Pseud. 1222. *Hercle te hau sinam moriri, nisi mi argentum redditur,*
Uiginti minae.

Poen. 493. *Ausculta. — Non hercle auscultabo. — Quomodo?*
Colaphis quidem hercle tuom iam dilidam caput,
Nisi aut auscultas aut is in malam crucem.

[Pro duobus uersibus Ambrosiani 493. 494 unum B cum reliquis praebet hunc: (Lycus) ausculta. — (Antamoenides) Non hercle tuum iam elidam caput].

Persa 142. *Atque nisi gnatam tecum huc iam quantum potest*

Adducis, exigam hercle ego te ex hac decuria.

Persa 218. *Nisi scio prius ex te, tu ex me numquam hoc quod rogitas scies*
[*sciero* libri, u. infra].

Persa 234. *Sed ego cesso. — Mane. — Molesta's. — Ergo ero quoque, nisi scio*
Quo agas te.

Persa 236. *Enim non ibis nunc, uicissim nisi scio.*

Persa 827. *Malum ego uobis dabo, ni abitis.*
[*nisi* libri: corr. R. cum Reizio].

Rud. 435. *At ego basilicus sum: quem nisi oras guttam non feres.*

Rud. 999. *Tu hercle, opinor, in tuom piscem te conuortes, nisi caues.*

Rud. 1004. *Tu istunc hodie non feres, nisi das sequestrum aut arbitrum.*

Rud. 1008. *Iam ego te hic itidem quasi peniculus nouos exurgeri solet,*
Ni hunc amittis, exurgebo quidquid umoris tibist.

Trin. 662. *Et postremo, nisi mi auscultas atque hoc quod dico facis,*
Tute pone te latebis facile ne inueniat te honor.

Truc. 267. *Nunc adeo nisi abis actutum aut dicis quid quaeras cito,*
Iam hercle ego hic te, mulier, quasi sus catulos pedibus proteram.
[*dic.s* (*dicas* ut uidetur. Schoell) A]

Truc. 286. *Abire hinc ni properas grandi gradu,*

Iam hercle ego istos fictos comptos crispos cincinnos tuos
Unguentatos usque ex cerebro exuellam!
[*ni properas* A. *ni propera* BZ. *mi propera* D. *ni properes* L. *exuellam* Scaliger. *euellam* A. *expellam* ceteri.]

Ter. Andr. 775. *Nunc adeo, ut tu sis sciens,*
Nisi puerum tollis, iam ego hunc in mediam uiam
Prouoluam teque ibidem peruoluam in luto.

Eun. 803. *Diminuam ego tibi caput hodie, nisi abis.*

Heaut. 932. *Quod incommoditates hac re accipies, nisi caues!*

Heaut. 1003. *Profecto nisi caues tu homo aliquid gnato conficies mali.*

Phorm. 436. *Satis iam uerborumst: nisi tu properas mulierem*
Abducere, ego illam eiciam.
[*properas* D¹G cum A. *properes* BCD²EFP].

Phorm. 850. *Uapula — Id quidem tibi iam fiet, nisi resistis. uerbero.*
[*restitis* A].

Ad. 173. *O facinus indignum. — Geminabit, nisi caues. — Ei misero mihi*
[sic A; *O miserum facinus. — geminabit nisi caues. — ei miseriam* rel.; uide infra].

Conf. etiam Heaut. 34. Phorm. 988.

Quae exempla si perspicias examinesque, quae numero apud Plautum quinquaginta, apud Teren-

tium septem sunt, facile invenias prorsus nullo discrimine, siue ad iuncturam uerborum siue ad ipsam sententiam respicias, particulas *ni* et *nisi* usurpari, licet haec particula usitatior sit (*nisi* octies et quadragies, *ni* undecies). Qua re in promptu esse uidemus — id quod iam O. Brugmann egregie ostendit — illam uim significationemque, quam primus particulae *ni* tribuerit Hand [1]), qui *ni* eiusdem iuris esse atque *si non* contenderet, (cuiusque explicationem deinceps uiri docti secuti sunt), in particula *ni* prorsus non inesse, sed huic uoci eandem uim subiectam esse atque particulae *nisi*. De qua re postea fusius disputabo. Hic tantummodo de Ad. 173 mentio fiat, ubi codicum scriptura est:

O facinus indignum — Geminabit nisi caues —
Ei misero mihi.

Illa praua Handii opinione inductus Dziatzko cum librorum lectionem metri causa retineri non posse crederet, quo seruaretur particula *nisi* «da *ni* für *nisi* gegen den Sprachgebrauch verstösst», scripsit:

O indignum facinus. — Nisi caues, geminabit . . .

Melius Umpfenbach pro *nisi* particulam *ni* legit ordinem uerborum seruans. Sed omnino non mutatione opus esse uidetur: nam talis proceleusmaticus qualis *nisi caues* minime usui comicorum scriptorum repugnat [uide Klotz Metrik p. 353 et exempla ibi allata]. — Persa 827 pro librorum scriptura *nisi* nunc recte legitur *ni* metro postulante.

---

[1]) Tursellinus, IV p. 184.

In omnibus supra allatis exemplis non futurum, ut e posteriorum scriptorum usu exspectare licebat, sed praesens inuenitur in protasi. Et regula fere uidetur esse, qua in talibus exemplis, quae a *nisi* aut *ni* incipientia minarum uim contineant, praesens tempus usurpetur. Ea enim exempla, quae huic regulae repugnant, cum perpauca sint, tum facillime intelligitur, quam ob rem futurum in iis inueniatur; nam adeo perspicue et aperte ad futurum modo tempus iussum, quod in eorum protasi continetur, spectat, ut ab omni temporum ratione praesens si adhiberetur, sane discreparet. Conf. pag. 17.

Exempla, ubi futurum inuenitur, haec sunt:

Mil. 156. *Ni hercle diffregeretis talos* posthac, quemque in tegulis
Uideritis *alienum, ego uostra faciam latera lorea.*
[*nisi* B].

Men. 662. *Nam domum* necumquam *intro ibis, nisi feres pallam* simul.

Rud. 731. *Uos adeo,* ubi ego innuero uobis, *ni ei caput exoculassitis.*
Quasi murtela iuncis, item ego uirgis circumuinciam.
[*uobis ni* Reizius. *uobis sine* BCD. *uobis si non* FZ. *uobis si* uet. libri Lambini.]

Stich. 62. *Iam quidem in suo quicque loco nisi erit mihi situm supellectilis*
Quom ego reuortar, *uos monumentis commonefaciam bubulis.*

Cas. 123. *Quae nisi erunt* s e m p e r *plena, ego te inplebo flagris.*

Pseud. 198. *Nisi carnaria tria grauida tegoribus onere uberi hodie*
Mihi erunt, cras te quasi Dircam olim ut memorant duo gnati Iouis
Deuinxere ad taurum, item ego te distringam ad carnarium.

Confer Epid. 121; infra Mil. 162, Rud. 810.

Mil. 449. *Immo ui atque inuitam ingratiis*
Nisi uoluntate ibis, rapiam te domum

ipso futuro monstrare uult is qui loquitur non tam imperatiuam uim uerba sua habere quam Philocomasio optionem deferre, utrum hoc an illo modo («uoluntate» an «raptione») domum duci malit.

De lectione Men. 694. *Nisi feres argentum frustra's,* cum ex alia comoedia uersus 693, 694 illatos esse Sonnenburg rectissime ut uidetur contenderit, quid iudicandum sit, tutissimum est missum facere..

Cetera exempla, quae futurum in protasi praebent, falsam scripturam praebere uidentur aut ipsa pro spuriis habenda sunt.

Epid 728. *Numquam hercle hodie, nisi me orasseis, solues*

C. F. V. Müllero [1]) assentior dicenti hunc uersum non esse nisi lectionem uariatam et posteriore manu additam pro u. 724: *Numquam hercle hodie, nisi supplicium mihi* d a s, *me solui sinam.*

Persa 218. *Nisi scio prius ex te, tu ex me numquam hoc quod rogitas scies.*

[1]) Plaut. Prosodie pag. 634 Adn.

In libris manuscriptis *sciero* legitur, pro qua lectione iam antequam Kampmanni coniecturam uidi, *scio* scribendum esse censui, collatis Cas. 643, Mil. 828, Men. 150, Persa 234, 236.

Restat unum exemplum de quo loquamur:

Pseud. 143. *Nunc adeo hanc edictionem nisi animum aduortetis omnes.*
Nisi somnum socordiamque ex pectore oculisque exmouetis,
Ita ego uostra latera loris faciam, ut ualide uaria sint.

Omitto si quae aliae sunt in uersu 143 syntacticae anomaliae [1]. Sed etiam tempus futurum, quod hoc loco adhibitum regulae a me supra allatae totque exemplis confirmatae prorsus repugnet, praesertim cum in uersu 144 praesens legatur, uersum suspectum reddit. Et concedendum est eodem fere iure quo uersum 156 *Adsistite omnes contra me et quae loquor aduortite animum* a Plauto abuidicarint editores, eodem hunc quoque damnari posse. Certe deletus non modo non deteriorem efficit sensum, sed haud scio an fortiorem et grauiorem ad uim scenicam, si modo rem quo pacto reapse se habeat, consideramus. Cum enim quae in uersibus antecedentibus continentur, secum quasi murmurauerit leno, in u. 144 ira rursus inflammatus inertiam ignauiamque seruorum conspiciens uerba stomachosa eiicit: »Nisi somnum socordiamque . . .» Deinde est obseruandum, quod tamen minoris momenti credo esse, cum Plautus nimia diligentia in talibus rebus

[1]) u. Langen, Nov. Ann. uol. 125 (a. 1882) p. 680.

Cas. 123. *Quae nisi erunt* semper *plena, ego te inplebo flagris.*

Pseud. 198. *Nisi carnaria tria grauida tegoribus onere uberi hodie*
Mihi erunt, cras te quasi Dircam olim ut memorant duo gnati Iouis
Deuinxere ad taurum, item ego te distringam ad carnarium.

Confer Epid. 121; infra Mil. 162, Rud. 810.

Mil. 449. *Immo ui atque inuitam ingratiis*
Nisi uoluntate ibis, rapiam te domum

ipso futuro monstrare uult is qui loquitur non tam imperatiuam uim uerba sua habere quam Philocomasio optionem deferre, utrum hoc an illo modo («uoluntate» an «raptione») domum duci malit.

De lectione Men. 694. *Nisi feres argentum frustra's,* cum ex alia comoedia uersus 693, 694 illatos esse Sonnenburg rectissime ut uidetur contenderit, quid iudicandum sit, tutissimum est missum facere..

Cetera exempla, quae futurum in protasi praebent, falsam scripturam praebere uidentur aut ipsa pro spuriis habenda sunt.

Epid 728. *Numquam hercle hodie, nisi me orasseis, solues*

C. F. V. Müllero [1]) assentior dicenti hunc uersum non esse nisi lectionem uariatam et posteriore manu additam pro u. 724: *Numquam hercle hodie, nisi supplicium mihi* das, *me solui sinam.*

Persa 218. *Nisi scio prius ex te, tu ex me numquam hoc quod rogitas scies.*

---

[1]) Plaut. Prosodie pag. 634 Adn.

In libris manuscriptis *sciero* legitur, pro qua lectione iam antequam Kampmanni coniecturam uidi, *scio* scribendum esse censui, collatis Cas. 643, Mil. 828, Men. 150, Persa 234, 236.

Restat unum exemplum de quo loquamur:

Pseud. 143. *Nunc adeo hanc edictionem nisi animum aduortetis omnes,*
Nisi somnum socordiamque ex pectore oculisque exmouetis,
Ita ego uostra latera loris faciam, ut ualide uaria sint.

Omitto si quae aliae sunt in uersu 143 syntacticae anomaliae [1]). Sed etiam tempus futurum, quod hoc loco adhibitum regulae a me supra allatae totque exemplis confirmatae prorsus repugnet, praesertim cum in uersu 144 praesens legatur, uersum suspectum reddit. Et concedendum est eodem fere iure quo uersum 156 *Adsistite omnes contra me et quae loquor aduortite animum*

a Plauto abiudicarint editores, eodem hunc quoque damnari posse. Certe deletus non modo non deteriorem efficit sensum, sed haud scio an fortiorem et grauiorem ad uim scenicam, si modo rem quo pacto reapse se habeat, consideramus. Cum enim quae in uersibus antecedentibus continentur, secum quasi murmurauerit leno, in u. 144 ira rursus inflammatus inertiam ignauiamque seruorum conspiciens uerba stomachosa eiicit: »Nisi somnum socordiamque . . .« Deinde est obseruandum, quod tamen minoris momenti credo esse, cum Plautus nimia diligentia in talibus rebus

[1]) u. Langen. Nov. Ann. uol. 125 (a. 1882) p. 680.

Inuitas, nei istunc istis inuitassitis
Usque adeo. donec qua domum abeat nesciat,
Periistis ambo.

[*nisi* (*nei* Pareus *istunc istis* Camerarius. *ne iis tunc istis* B. *ne iis tunc* CD. *nisi sic tunc* F.]

In his ambobus exemplis perfacile futurum explicatur, cum et in hoc et in illo cum alia sententia condicionali coniuncta sit ea protasis, quae a *ni* incipit. Conferenda sunt uerba Brixii ad Mil. 163: «Die Bedeutung der synkop. Formen (des Fut. ex.) ist die des bedingten zukünftigen Eintretens einer thatsächlich vollendet gedachten Handlung».

Cum his exemplis quae supra attuli (pag. 5—17), quibus quis iussu minisque alium incitat, ut quid faciat, proxime coniungenda sunt ea, quibus quis se ipse cohortatur. In protasi horum exemplorum — quorum in apodosi plerumque praesens aut perfectum futuri loco (cf. pag. 17) legitur — semper praesens inuenitur.

Haec exempla inueni:

Futurum tempus in apodosi:

Men. 847. *Ni occupo aliquod mihi consilium, hi domum me ad se auferent.*

Heaut. 730. *Faciet, nisi caueo.*

Praesens tempus in apodosi:

Asin. 287. *Perii ego oppido, nisi Libanum inuenio iam, ubi ubist gentium.*

Asin. 918. *nam ni inpetro,*
Regem perdidi.

Aul. 243 (= Uss. 385). *Nimirum occidor, nisi ego intro huc propere propero currere.*

[Uersum huc retraxit, qui est in libris 393, Ritschelius Prol. p. 130: delet Ussingius et Langenus p. 136: Plautinae certe uix est aetatis (Goetz)].

Capt. 538. *Occisast haec res, nisi reperio atrocem mi aliquam astutiam.*

Most. 539. *Manufesta res est, nisi quid occurro prius, Ne hoc nunc senex resciscat.*

Persa 738. *Nisi ego illum hominem perdo, perii.*

Rud. 683. *Nisi quid re praesidi adparas, Trachalio, acta haec res est.*

Stich 401. *Nam ni illos homines expello, ego occidi planissume.*

[*occido* F[

Trin. 515. *Plane periimus Nisi quid ego conminiscor.*

[*perimus* libri cum A].

Truc. 619. *Perii hercle hodie, ni hunc a te abigo. — Accede huc modo, adi huc modo!*

[*ni* Bothius, *nisi* libri, *nisi te hinc* Brixius; Sed librorum scriptura seruari potest, nam de proceleusmatico conf. Klotz. Metrik p. 353 et supra pag. 6.]

Asin. 243. *Interii, si non inuenio ego illas uiginti minas: Et profecto, nisi illud perdo argentum, pereundumst mihi.*

Omnibus supra (pag. 5—19) allatis exemplis aliquis iubetur aliquid facere, quod ut praestetur, minae graues adduntur: praesens in protasi fere inuenitur. Cum autem quis aliquid facere uetatur i. e. cum a

si particula, non a *nisi* aut *ni* incipit sententia, futurum exactum plerumque inuenitur.

Exempla, ubi futurum exactum inuenitur, haec sunt:

Amph. 454. *Nam si me inritassis, hodie lumbifragium, hinc auferes.*

Asin. 20. *Si quid tu med erga hodie falsum dixeris,* (obtestor) *Ut tibi superstes uxor aetatem siet . . .*

Asin 278. *Nam huic occasioni tempus si se supterduxerit,*
Numquam edepol quadrigis albis indispiscet postea.

[*Nam si huic* libri: alii aliud, uide Goetz adn: crit.]

Asin. 405. *Si quidem hercle Aeacidinis minis animisque expletus cedit,*
Si med iratus tetigerit, iratus uapulabit.

[*incedit* libri. Coniunctiuum flagitat Acidalius].

Aul. 56. *si hercle tu ex istoc loco*
Digitum transuorsum aut unguem latum excesseris
Aut si respexis, donicum ego te iussero,
Continuo hercle ego te dedam discipulam cruci.

[*respexeris* D. *respexeris* EJFZ: corr. Aldina.]

Aul. 442. *Si ad ianuam huc accesseris, nisi iusso, propius.*
Ego te faciam misserumus mortalis ut sis.

[*iusso* Guyetus, Fleckeisenus, *iussero* libri.]

Bach. 800. *Quid feci? — Inpinge pugnum, si muttiuerit.*

Bach. 888. *Qua quidem te faciam, si tu me inritaueris,*
Confossiorem soricina nenia.

Capt. 122. *Si non est quod dem, mene uis dem ipse in pedes? —*

Si dederis erit extemplo mihi quod dem tibi.
[Hi uersus merito editoribus suspecti uisi sunt.]

Capt. 124. *Ita ut dicis: nam si faxis, te in caueam dabo.*

Capt. 695. *Pol si istuc faxis, haud sine poena feceris,*
Si ille huc rebitet, sicut confido adfore.

Capt. 809. *Eorum si ego quoiusquam scrofam in publico conspexero,*
Ex ipsis dominis meis pugnis exculcabo furfures.

Capt. 821. *Eorum ego si in uia petronem publica conspexero,*
Et petronem et dominum reddam mortalis miserrumos.

Curc. 294. *eos ego nunc si offendero,*
Ex unoquoque eorum excutiam crepitum polentarium.

Curc. 726. *Quid tum? — Quid tum, rogitas? hisce ego si tu me inritaueris,*
Placidum te hodie reddam.

Epid. 593. *Si hercle te umquam audiuero*
Me patrem uocare, uitam tuam ego interimam!
[*audivero* A. omittit BJFZ.]

Most. 239. *Si quid tu in illum bene uoles loqui, id loqui licebit:*
Nec recte si illi dixeris, iam ecastor uapulabis.

Men. 112. *Praeterhac si mihi tale post hunc diem*
Faxis, faxo foris uidua uisas patrem.

Men. 416. *Periisti, si intrassis intra limen.*

Mil. 1426. *Si posthac prehendero ego ted hic, carebis testibus.*

Persa 828. *Iam ego tibi, si me inritassis, Persam adducam denuo.*

Rud. 759. *Quid illas spectas? quas si attigeris oculos eripiam tibi.*

Rud. 762. *Si attigeris ostium,*
Iam hercle tibi mergeis in ore fiet messis pugneis.

Rud. 775. *Maxumo malo suo,*
Si attigerit siue occeptassit.

Rud. 789. *Uerum, senex, si te umquam in urbe offendero,*
Numquam hercle quisquam me lenonem dixerit,
Si te non ludos pessumos dimissero.

Rud. 810. *Si hercle illic illas hodie digito tetigerit,*
Inuitas, nei istunc istis inuitassitis
Usque adeo, donec qua domum abeat nesciat,
Periistis ambo.

Rud. 1117. *Si praeterhac*
Unum uerbum faxis hodie, ego tibi conminuam caput.

Stich. 344. *Praeterhac si me inritassis — Edepol essuries male. —*
Animum inducam, ut istuc uerum te elocutum esse arbitrer.

Trin. 463. *Oculum ego ecfodiam tibi,*
Si uerbum addideris.

Ter. Andr. 164. *Mala mens, malus animus, quem quidem ego si sensero . . .*
Sed quid opust uerbis?

Andr. 196. *Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis*
Fallaciae conari, quo fiant minus,

Aut uelle in ea re ostendi, quam sis callidus:
Uerberibus caesum te in pistrinum, Daue,
dedam usque ad necem . . .

Andr. 860. *Uerbum si addideris . . .*

Eun. 800. *si quicquam hodie hic turbae coeperis,*
Faciam ut huius loci dieique meique semper memineris.

Eun. 1063. *miles, edico tibi,*
Si te in platea offendero hac post umquam, quod dicas mihi
'Alium quaerebam, iter hac habui', periisti.

Phorm. 438. *Si tu illam attigeris secus quam dignumst liberam,*
Dicam tibi inpingam grandem.

Phorm. 911. *Nam qui erit rumor populi, inquit, si id feceris?*

Conf. Asin. 231, 800, Men. 157, Mil. 1152, Eun. 740, Phorm. 205.

Dimidia circiter pars horum exemplorum futuri exacti formam in extremo pede uersus habet; quae forma ut iam in exordio dixi, minime contra consuetudinem sermonis metri causa adhibebatur, sed, cum ad usum communem esset, in extremo pede posita uersum pulchre numeroseque cadentem egregie reddebat. Uide supra pag. 3 et confer exempla in § 4 collecta.

In paucis exemplis, ubi quis in eo quod iam nunc faciat perseuerare uetatur, futurum I inuenitur: Aul. 93. *Nam si ignis uiuet, tu extinguere extempulo.*

Capt. 604. *Namque edepol, si adbites propius, os denasabit tibi Mordicus.*

Curc. 569. *Tu auferere hinc a me si perges mihi Male loqui profecto.*

Curc. 571. *Atque edepol non minitabor, sed dabo, Si perges molestus esse.*

Pseud. 1173. *Contumeliam si dices, audies.*

[An *'dicis'* potius: Ritschl].

Truc. 876. *Si auferes, a milite omnis tum spes animam efflauerit.*

[*'auferes puerum'* codd.; *'aufers puerum'* Bothius].

Ter. Phorm. 359. *Si erum insimulabis malitiae, male audies.*

Cf. Andr. 920. Eun. 18.

Pro futuro I eadem fere significatione etiam praesens usurpari potest., Sed apparet alio modo explicandum esse futurum, alio praesens, ita ut protasis, cum futurum adhibeatur, ad futurum maxime tempus spectet, cum praesens usurpetur, ad ea quae iam facta sint aut fiant spectet.

Interdum in his praesentis exemplis uis prope causalis in particula *si* inesse uidetur. Ita in Men. 1121.

Si interpellas, ego tacebo, quod idem fere est atque quod nos suetice dicimus:

jaså, afbryter du mig skall jag tiga (cf. Ad. 127).

Plerumque uerbum pergendi in protasi inuenitur. [conf. supra de futuro I.]

Bach. 570. *Postremo, si pergis paruam mihi fidem arbitrarier,*

Tollam ego ted in collum, atque intro hinc auferam.

Ad. 127. *Ah, si pergis, abiero.*

Ad. 181. *Nam si molestus pergis esse, iam intro abripiere atque ibi*
Usque ad necem operiere loris.

[*perges* BCEFP: utrum *pergis* an *perges* legatur, nil ad rem.]

Phorm. 937. *Enim uero si porro esse odiosi pergitis . .*

Cf. Trin. 674. *Si istuc, quod conare, facis, incendio incendes genus.*

[Sic uersus haud scio an sanus non sit. Caesura media praetermissa est, U. Klotz Metr. p. 289].

Supra igitur demonstrare conatus sum tam certis seuerisque legibus sermonis, quam quibus posteriores usi essent, priscos astrictos non fuisse, nec tamen ideo tantam modorum temporumque confusionem ualuisse condicionalibus quidem sententiis quantam e disputationibus eorum, qui de his rebus scripsissent, concludere licuisse. Ut Blase [1]) scripsit: «Uerum quanta cum uarietate in protasi huius generis enuntiatorum apud Plautum et ind. praes. et coni. praes. et ind. fut. legantur, ex locis subscriptis cognoscitur. Persa 827. *Malum ego uobis dabo, ni abitis.*

Bach. 1172. *Ni abeas . . . malum tibi magnum dabo iam.*

Mil. 450. *Nisi uoluntate ibis, rapiam te domum*».

Ex quibus exemplis Bach. 1172 unicum est nec nimis audacis credo fuit emendare, cum tot exem-

---

[1]) De modorum temporumque etc. pag. 47.

plorum silua repugnaret, reliqua autem duo Persa 827 et Mil. 450 minime eandem habent significationem explicationemue. (Conf. pag. 16).

Nec melius ei res successit, cum prorsus falsa regula [1]), cuius nec ratio nec ueritas ulla est, Plauti usum restringere conaretur: «Aliquotiens enim cum apodosi duae protases ita coniunctae sunt, ut altera alteri quodam modo subiecta sit. Quod si euenit, in apodosi ind. futuri legitur, in protasi priore loco ind. futuri, alteri loco ind. praesentis». Ex sex Blasii ad illam rem demonstrandam allatis exemplis Merc. 458 ad rem non pertinet:

Quid? illi quoidam, qui mandauit tibi, si emetur, tum uolet;
Si ego emo illi, qui mandauit, tum ille nolet? Nihil agis.

Mil. 480. *Erus si ueniet, si me quaerit, hic ero: hinc me arcessito.*

codex A testibus Loewio et Studemundo *quaeret* habet, et sic scripserunt Brix, Lorenz, Goetz.

Capt. 683. *Si ego hic peribo, si ille, ut dixit, non redit,*
At erit mi hoc factum mortuo memorabile.
si alterum est coniectura dubia Brixii pro *ast* codicum lectione; — De Pseudolo 143 *Nunc adeo hanc edictionem* . . . iam supra disputaui; Lorenz ad hunc uersum adnotauit metri necessitate coactum poetam *amouetis* formam in uersum arcessiuisse. Immo crediderim de forma futuri *aduortetis* hanc «metri necessitatem» ualere, nisi potius totum uersum 143 pro spurio habeam.

---

[1]) l. l. pag. 18.

Restant Pseud. 373 et Mil. 936.

Pseud. 373. *Nisi mihi hodie attulerit miles quinque quas debet minas,*
Sicut haec est praestituta summa ei argento dies;
Si id non adfert, posse opinor facere me officium meum.

[si *id non adfert* A. *si is non aderit* reliqui.]

Mil. 936. *egone hoc si ecficiam plane,*
Ut concubinam militis meus hospes habeat hodie.
Atque hinc Athenas auehat, si hodie hunc dolum dolamus,
Quid tibi ego mittam muneris?

[*si* in u. 936 om. FZ. *si hodie hunc* Gruterus. *hodie hunc* BCDFZ.]

Quibus in exemplis — quamquam ne illa quidem certam lectionem praebent — quo magis appereat aliam rationem quam illam a Blasio allatam tempora mutata efficere, haec exempla conferre iubeo:

Asin. 105. *Si forte in insidias deuenero,*
Tun redimes me, si me hostes interceperint?

Asin. 405. *Si quidem hercle Aeacidinis minis animisque expletus cedit,*
Si med iratus tetigerit, iratus uapulabit.

Rud. 789. *Uerum, senex, si te umquam in urbe offendero,*
Numquam hercle quisquam me lenonem dixerit,
Si te non ludos pessumos dimissero.

Bach. 1001. *Non dabis, si sapies; uerum si das maxume,*
Ne ille alium gerulum quaerat, si sapiet, sibi.

[*sapes* ex *sapis* C. *quaerat* libri. *quaeret* Brachmannus.]

Immo uero illa regula, quam supra attuli, ualet: cum protasis, a nisi particula incipiens, iussum continet, praesens fere usurpatur; cum protasis a si particula incipiens interdictum continet, futurum exactum fere usurpatur. Quae cum ita sint, operae pretium est inspicere, quibus causis moti prisci poetae hac norma usi sint. Neque si singula tantummodo exempla examines, ratio elucet. Nam quod dicas ea exempla, quae iussiua ui praedita praesens habeant, semper ad proxime impendens tempus spectare [1], obseruandum est et nonnulla exempla quae a *nisi* incipientia iussum contineant, ad futurum potius referri posse, et saepius exempla, quae a *si* incipiant interdictum continentia, ad proxime impendens tempus spectare.

Et ut in illis plerumque uerba qualia sunt *continuo, cito, nunc, hodie, iam* sim. ad proximum tempus iussum referunt, ita in his saepe eiusdemmodi uerba inueniuntur.

Immo ex ipsa condicione huius dicendi generis, quoad ex rationibus concludere possumus, principium huius usus est petendum. Nam apparet, interdictum, si ad uniuersum genus respicias, ab exemplis plautinis et terentianis recedens, secundum suam naturam potius ad futurum tempus esse referendum, cum interdicti magis proprium esse uideatur, ut diutius aut in omne tempus ualeat; contra iussum, nisi ad definitum

[1]) Sic ut uidetur Rodenbusch (De temporum usu Plautino quaestiones selectae, Argentorati 1888, pag. 50): «celeritatis significandae causa praesens adhibetur».

tempus futuri referatur, ad proxime impendens tempus fere spectare. Apud Plautum quidem et Terentium — ut supra dixi — hoc discrimen, quod inter iussi et interdicti tempora, est quamuis ad futurum utrumque spectet, ex exemplis non satis elucet, nam illic et iussa et interdicta saepissime ad proximum tempus referuntur: quod minime uerba mea refutat dicentis, in ipsa natura iussi et interdicti hoc discrimen esse insitum. Quin cum illa a me supra allata regula, qua in protasi iussum continente praesens, in protasi interdictum continente futurum usurpetur, semper fere apud Plautum et Terentium obseruetur, neque tamen in singulis apud eos exemplis illud temporis discrimen, quod inter iussum et interdictum esse supra dixi, semper statui possit, sed utriusque temporis usus definitus ex ipsius rei ratione peti debeat: ex hoc eo clarius sequitur, ut illa aetate in communis sermonis consuetudine hic temporum usus confirmatus fuerit satisque sibi constiterit.

Quod cum mihi uidear demonstrasse, conferri iubeo hunc usum cum illo apud posteriores satis noto, quo dictum sit: *ama,* sed: *ne amaueris:* nonne cogitari potest, aliquo modo inter se cohaerere haec genera dicendi:

da — nisi das, uapulabis
ne dederis — si dederis, uapulabis.

Non ita dico hoc et illud cohaerere, ut ex altero alterum sit arcessitum, sed ita ut ex futuri et praesentis ui usuque eadem ratione et hoc et illud repetitum sit.

§ 2. De promissis.

Cum iis enuntiatis, quibus minae insunt, proxime comparari possunt ea, quae promissa continent. Quibus tamen tam certae et definitae leges temporum non ualent quam illis. Nam hic futurum et praesens promiscue fere usurpari uidentur. Et ea regula, quam statuere uult Rodenbusch [1]), ut facilis sane et expedita est, ita latius patet magisque est incerta quam ut ullius ad rem explicandam momenti sit. Eius uerba haec sunt: «Alterum genus hoc est, ut praesens in protasi ponatur ea de causa, ut minus in ratione temporali quam in condicione ipsa ponderis situm sit; quod quomodo sit explicandum, inde apparet, quod in praesenti minus rationem temporalem elucere uidimus, sed nudam quasi actionem temporali notione exsolutam». Sed quid sibi uelit illa «actio temporali notione exsoluta», et quo modo ex exemplis ab eo allatis perspici possit «nudam quasi actionem» ibi ualere? certe non alia re quam ipso illo tempore praesenti! Nonne igitur hic est is, qui in logica uocatur, circulus demonstrandi? Quin etiam si ipsa exempla a Rodenbuschio allata accuratius examines, facile uidere licet quam incertis dubiisque finibus rem determinauerit. Nam cum duo «genera» attulerit, ubi praesens pro futero poneretur, «unum», inquit, «genus inuenitur dumtaxat in protasi negatiua, si celeritatis significandae

[1]) l. l. pag. 50.

causa praesens adhibetur» . . . «Alterum genus hoc est, ut etc. (ut supra).

Priori generi exempli causa haec adnumerat:

Curc. 575. *nisi mi uirgo redditur,*
Iam ego te faciam, ut hic formicae frustillatim differant.

Curc. 723. *Ego te in neruom, non ad praetorem rapiam, ni argentum refers.*

[immo sic in libris: *Ego te in neruom, haud ad praetorem hinc rapiam, ni argentum refers*].

Quibus cum exemplis conferas ea, quae alteri generi attribuit.

Epid. 724. *Numquam hercle hodie, nisi supplicium mihi das, me solui sinam.*

Trin. 662. *Nisi me auscultas, atque hoc quod dico facis,*
Tute pone te latebis, facile ne inueniat te honor.

[Rodenbusch post *inueniat* om. te].

Concedo me uix uidere, quid inter haec et illa exempla intersit.

Neque si ad uniuersam rem spectamus, certa generalisque norma ualere uidetur, qua praesens aut futurum in his enuntiatis usurpetur. Singula autem exempla si examinamus, facile inuenimus ratione minime carere haec tempora adhibita. Nam praesens usurpatur, cum ad praecedens futurum non refertur protasis et sermo magis ut ita dicam uersatur in ipso tempore praesenti; futurum autem usurpatur, cum ad praecedens futurum protasis spectat aut particula *si* ad similitudinem particulae *cum* propius accedit aut additum in apodosi aduerbium ostendit non momen-

tum, sed spatium futuri temporis uel iteratam in futuro actionem significari. Quamquam negari non potest in uno alteroue exemplo, cur hoc aut illud tempus ponatur, rationem perspici uix posse; ut credere debeamus, usum sermonis in his temporibus adhibendis hic non satis sibi constetisse, quin etiam rebus metricis interdum ductos poetas aliud tempus alio loco eadem cum significatione posuisse.

a) Praesens in protasi est:

Asin. 193. *Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum,*
Hanc tibi noctem honoris causa gratiis dono dabo.

Curc. 139. *Tibi ne ego si fidem seruas mecum uincam pro aurea statua statuam,*
Quae tuo gutturi sit monimentum.
si fidem seruas i e. si nunc ea es cui ego fidem possim habere.

Epid. 468. *Si sexaginta mihi dinumerantur minae,*
Tuas possidebit mulier faxo ferias.
Conf. Asin. 193.

Capt. 331. *Eum si reddis mihi, praeterea nullum nummum ne duis,*
Et te et hunc amittam hinc — alio pacto abire non potes.

Mil. 1213. *Quid opust uerbis? libertatem tibi ego et diuitias dabo,*
Si impetras.
impetras refertur ad u. 1212 *quam ego* nunc concilio *tibi.*

Pseud. 1327. *Redeo. — Simul mecum i potatum.*
Egone eam? — Fac quod te iubeo.
Si is, aut dimidium aut plus etiam faxo hinc feres.

si is refertur ad *simul mecum i.*

Trin. 713. *Si mihi tua soror, ut ego aequom censeo, ita nuptum datur*
Sine dote neque tu hinc abituru's quod meumst, id erit tuom.
Sin aliter animatus es, bene quod agis eueniat tibi.

Men. 1093. *Perge operam dare, opsecro hercle, liber esto, si inuenis.*
Hunc meum fratrem esse.

Rem inuestigare et inuenire Menechmo uidetur iam coepisse Messenio. Conf. perge *operam dare.*

Ter. Hec. 112. *si mihi fidem*
Das te tacituram, dicam.

Conf. Mil. 455. Rud. 647, Asin. 712. Trin. 5, 7.

b) Futurum in protasi est:

Cas. 708. *Si effexis hoc*
Soleas tibi
Dabo et anulum in
Digito aureum et
Bona pluruma

Conf. in u. 706, 707: *nuntiabo, orato, orabo, orato.*

Pseud. 939. *Sed ego tibi quae bona dabo et faciam, si hanc sobrie rem accurassis.*

Conf. u. 926 *dabo,* 928 *dabo,* 933 *antidibo.*

Pseud. 949. *Lepide accipis me. — Immo si efficies, tum faxo magis id dicas.*

[*effici* B. *efficis* CDFZ. *accipies* Ussingius. *efficies* Hermannus.]

Codicum lectio *efficis* quin ad usum Plauti in his rebus uacillantis defendi possit, uix dubito. Tamen similitudo u. 946 *Ut ego accipiam te hodie lepide, ubi effeceris hoc opus* commendare uidetur editorum scripturam *efficies.* Etiam obseruanda est particula *tum.*

Poen. 428. *Egone, egone, si istuc lepide ecfexis. — I modo.*

Ut non ego te hodie. — Abi modo. — Emittam manu?

[*ecfexis* Bothius. *et fexis* BCD¹. *et faxis* D⁴Z. *faxis* F. *effexis* Camerarius cum A.]

Conf. u. 424—426: *ego intus* interim ... *tuom* exornabo *uilicum.*

Poen. 1408. *Non experiar tecum. — Neque ego, si aurum mihi reddes meum,*

Leno, quando ex neruo emissu's conpingare in carcerem.

[u. 1409 haud scio an recte incluserit Ussing.]

De u. 1408 conf. u. 1393, 1394 *tum autem aurum tuom reddam, quod apud mest, et ius iurandum dabo.*

Persa 393. *Si hoc adcurassis lepide, quoi rei operam damus,*

Dabuntur dotis tibi inde sescenti logei.

Conf. u. 336 *uenibis tu hodie*, u. 374 *demouebor*, u. 378 *futura's dicto oboediens*, u. 379 *futura.*

Persa 564. *Si hanc emeris,*
Di immortales, nullus leno te alter erit opulentior.

Persa 627. *Tu si hanc emeris*
Numquam hercle hunc mensem uortentem, credo, seruibit tibi.

Conf. u. 626. Si *te emam, Mihi quoque Lucridem confido fore te.*

Persa 656. *Ne sis plora: libera eris actutum, si crebro cades.*

Obseruandum est aduerbium *crebo*, u. supra.

Mil. 1365. *Si id facies, tum demum scibis, tibi qui bonus sit, qui malus.*

Conf. u. 1364. *Cogitato identidem* et u. 1365 *tum demum. si* propius accedit ad significationem particulae *cum.*

Rud. 678. *Si respexis, scies.*

Stich. 610. *Si hercle faxis, non opinor dices deceptum fore.*

Truc. 784. *At si uerum mi eritis fassae, uinclis exsoluemini.*

si accedit ad significationem particulae *cum* conf. supra Pseud. 949, Mil. 1365.

Ter. Eun. 1056. *hoc si effeceris,*
Quoduis donum praemium a me optato, id optatum feres.

Terentii sermonem ut saepe alibi ita in hoc exemplo usui aetatis classicae quae uocatur propiorem fuisse suspicari licet.

§ 3. De affirmationibus.

Cum quis pro certo affirmat se aliquid facturum esse, illa iurandi formula *si uiuo* plerumque utitur, ubi *uiuo* saepissime explet pedem extremo proximum. In apodosi semper futurum I legitur. Exempla haec sunt:

Aul. 573. *Ego te hodie reddam madidum, si uiuo, probe.*

Bach. 766. *Uorsabo ego illunc hodie, si uiuo, probe.*

Bach. 1034. *Sescenta tanta reddam, si uiuo, tibi.*

Cas. 115. *quot te modis,*
Si uiuo, habebo in nuptiis miserum mihi.

Most. 1067. ... *Quoius ego hodie ludificabor corium, si uiuo, probe.*

Most. 1168. *Interimam hercle ego te, si uiuo. — Fac istam cunctam gratiam.*
[*si uiuo. — fac istam* Camerarius cum Bb. *suibo facis tam* BaCD. *iubeo fac istam* FZ.]

Pseud. 1325. *Erit ubi te ulciscar, sei uiuo.*

Men. 903. *Quem ego hominem, siquidem uiuo, oppido e uita euoluam sua.*

Ter. Andr. 866. *Age nunciam: ego pol hodie, si uiuo, tibi*
Ostendam, erum quid sit pericli fallere.

Eun. 989. *ego te furcifer,*
Si uiuo ... set istuc, quidquid est, primum expedi.

Heaut. 918. *Ad ne illud haud inultum, si uiuo, ferent.*
[*Anne* A. *inuitum* A.]

Heaut. 950. *Sed Syrum quidem ego si uiuo adeo exornatum dabo . . .*

[Sic Umpfenbach. *Sed Syrum quidem egone si uiuo* A. *Sed Syrum — Quid eum? — Egone? si uiuo* BCDEFGP, nisi quod *ego$^{m}_{n}$e* E, corr E^2 *ergo me* G: Dziatzko Bembini lectionem seruat, item Conradt p. 117 et Warren in Am. Jour. of Phil. II 54 sq. (sec. Dz.); Klotz Metr. pag. 155 negat apud Terentium hiatum in uersibus troch.-sept. inueniri — recte ut uidetur. Legit h. l.: *Sed Syrum — Quid eum? — Egone? si uiuo, adeo exornatum uolo.* Quam lectionem tuetur testim. Nonii (bis) et Donati (ad Ad. 400).]

Uno loco pro *'si uiuo'* eadem fere significatione praeditum legitur *'si hoc caput sentit'* (conf. Psèud. 722).

Aul. 425. *Sine, at hercle cum magno malo tuo, si hoc caput sentit.*
[*sentiet* JFZ].

Ter (an bis? uide infra ad Pseud. 722) inuenitur futurum in protasi:

Most. 4. *Ego pol te ruri, si uiuam, ulciscar probe.*

Persa 786. *Quem pol ego ut non in cruciatum atque in compedes cogam, si uiuam,*
Si quidem huc umquam erus eius redierit . . .

Pseud. 722. *Liberam hodie tuam amicam amplexabere. — Egone? — Tu istic ipsus, inquam, si quidem hoc uiuet caput.*
[*uiuet caput* FZ. *uiui* (uel *e*)*t caput* A. *uiue caput* C. *uiuecapud* D. *caput uiue* B.]

In omnibus his exemplis indicatiuus inuenitur, neque ulla de eo codicum discrepantia est. Futurum tempus et praesens cum promiscue usurpari uideantur, tamen apparet certum discrimen inter huius et illius usum esse. Nam praesens cum adhibetur, *si* particula inprimis affirmantem obtestantemque uim habet, idemque est atque quod nos suetice dicimus: *så sant som.* Cum autem futurum ponitur, condicionis uis remanet [1]).

Cum in his exemplis formula *'si uiuo'* aut *"si uiuam'* semper fere inueniatur, maior quidem dicendi uarietas exstat, ubi alter alterum aliquid monet. Hic semper praesens tempus inuenitur, duobus exceptis exemplis, quorum protasis est *'si sapies':* Bach. 1002. *Non dabis, si sapies.* Rud. 1391. *Si sapies, tacebis.* Ubi futurum *'sapies'* explicandum est prorsus eodem modo atque *'si uiuam'* (uide supra).

Si codicum auctoritatem sequimur, modus in aliis exemplis indicatiuus in aliis coniunctiuus usurpatur ita, ut multo praeualeat indicatiui usus. Neque tamen hac sola re nisus crediderim ubique esse restituendum hunc modum. Nam ut iam in praefatione dixi, nisi magna copia exemplorum usum sermonis satis confirmat, minime ad unam regulam corrigenda sunt ea quae repugnant. Neque enim adhuc corroborata erat lingua priscorum. His autem de exemplis cum mihi persuaderem eos perpaucos uersus ubi coniunctiuus inueniretur, corrigendos esse, ipsa me ratio docuit. Nullo enim modo quae uis in illo coniunctiuo insit, perspi-

---

[1]) Cf. Rodenbusch l. l. pag. 55.

cere possum. Addendum est, quod maximi momenti ad hanc meam sententiam confirmandam est, ex tot apud priscos exemplis, ubi imperatiuus modus in apodosi legatur, uix ullo loco in protasi coniunctiuum inueniri. De qua regula cum iam O. Brugmann scripserit, hic sufficiat eius uerba afferre. Postea suo loco rem accuratius tractabo quaeque exempla repugnare uidebuntur, examinabo [1]). Ita Brugmann scribit [2])... «Seit jener Zeit habe ich diesem Punkt weiter meine Aufmerksamkeit zugewendet und die Regel für das archaische Latein bestätigt gefunden. Es scheint mir ausserdem unlogisch zu sein, dass ein Befehl auf eine Voraussetzung gegründet wird, über deren Wirklichkeit der Befehlende einen Zweifel ausspricht. Einen solchen Sprachgebrauch kann ich mir erst in einer fortgeschrittneren, literarisch mehr ausgebildeten Sprachperiode denken, wo der Potentialis sich zur gemilderten Behauptung abgeschwächt hat....»

Quam regulam etiam latius patere credo quam Brugmann uoluit. Nam et ratio docet et multitudo exemplorum quae inueni confirmat, illic quoque, ubi in apodosi futurum imperatiui ui praeditum legatur, in protasi usurpari indicatiuum.

Quae cum ita sint, optimo iure credo indicatiuum ubique legendum esse.

Haec exempla inueni:

---

[1]) In sponsionis exemplis tamen dubito utrum indicatiuum restituere necesse sit necne.

[2]) l. l. pag. 14.

Amph. 311. *Proin tu istam cenam largire, si sapis, esurientibus.*

Men. 121. *Malo cauebis, si sapis.*

Most. 515. *Non me appellabis, si sapis.*

Bach. 1002, Rud. 1391 uide pag. 38.

Epid. 515. *Propera igitur fugere hinc, si te di amant.*

Poen. 659. *Tu, sei te dei amant, age tuam rem.* [*ament* Z]

Mil. 571. *Ne tu hercle, si te di amant, linguam conprimes.* [*amant* CDFZ: *ament* AB. Fortasse *ament* ex coll. u. 293 ortum est: *Uerum enim tu istam, si te di ament, temere hau tollas fabulam,* ubi *ament* recte legitur. *Amant* recte scripserunt Forchhammer et Goetz.]

Asin. 539. *Meum caput contemples, si quidem ex re consultas tua.*

Rud. 629—634. — *teque oro et quaeso, si speras tibi*
Hoc anno multum futurum sirpe et laserpicium
— — — — — — — — —
— — — *seu tibi confidis fore multam magudarim,*
Ut te ne pigeat dare operam mihi quod te orabo, senex.

Rud. 635. *At ego te per crura et talos tergumque optestor tuom,*
Ut tibi ⟨si⟩ ulmeam uberem esse speras uirgidemiam . . .
Ut mihi istuc dicas negoti quid sit quod tumultues.

[Uersum 636 secundum Ussingii scripturam conformaui, nisi quod is *speres* legit. Codices *si* omittunt. Codex D *speras*, ceteri *speres*, quae coniunctiui forma cum forsitan ceterorum attractione defendi possit, tamen propter simil. u. 629 mutanda esse uidetur. Schoell ita scribit: *Ut tibi ulmeam ni metere speras uirg.*: quae mihi deterior lectio uidetur esse, cum comicam illam uim, quae uerbis *si speras* egregie efficiatur, prorsus perdat].

Asin. 699. *Uehes pol me hodie, si quidem hoc argentum ferre speras.*

[cod. *speres*. Iam Müller (Nachträge zur Plaut. Prosod. pag. 121) scripsit: *speras*, recte addens pro explicatione: In uiel spätere Zeit regiert *siquidem* ohne weiteres den Conjunctiv.]

Ad quae exempla haud scio an sit addendum Amph. 891 sq.

Faciendumst mihi illud, fieri quod illaec postulat,
Si me illam amantem ad sese studeam recipere.

[Uersus 892 Langeno merito suspectus uidetur [1]. Leo adnotat: «non ad Plauti simplicitatem:» si uersus retinetur, saltem pro *studeam* indicatiui forma *studeo* restituenda est.]

Denique pauca huiusmodi exempla sunt, quorum in protasi perfectum inuenitur. In his ad id, quod iam antea factum est, quasi delegatur.

Pseud. 905. *Si umquam quemquam di immortales uoluere esse auxilio adiutum,*

---

[1] Langen, Beiträge pag. 48.

Tum me et Calidorum seruatum uolunt esse
et lenonem extinctum.
[*uoluerunt* A.]

Ter. Hec. 49. *Si numquam auare statui pretium arti meae*
Et eum esse quaestum in animum induxi maximum,
Quam maxime seruire uostris commodis:
Sinite impetrare me.
[*pretium statui* BCDEFP.]

Hec. 389. *Si umquam erga te animo esse amico sensisti eam, mi Pamphile,*
Sine labore hanc gratiam te ut sibi des pro illa nunc rogat.
[*nunc obsecrat* A.]

Conf. Ussingii lectionem Aul. 394 (Uss. 386).
Apollo, quaeso, subueni mihi atque adiuua . . .
Si quoi in re tali subuenisti antidhac.
[*Si* codices non habent; de uariis emendationibus huius in libris miseri corrupti uersus uide Goetz ad h. uersum].

§ 4. De detestationibus.

Quodam modo eadem ui praeditae sunt eae enuntiationes, quibus religione et detestatione se ipse quis obstringit ita, ut in protasi aliquid esse, fuisse, futurum esse affirmet quod si falsum esse compertum erit, calamitate miseriaque ut affligatur imploret. Inter has igitur et illas, quas priore § tractaui, sententias hoc maxime interest, quod ipsa res, cuius ueritas firmari

debet, hic in secundaria, illic autem in primaria continetur.

Modus protasis semper est indicatiuus (conf. pag. 39), excepto Pseud. 1070, ubi haud dubium est, quin codicum lectio uitiosa sit (u. infra). Tempora sunt futurum, praesens, perfectum.

a) Saepissime futurum legitur.

Cum aliquid futurum esse negatur, particula *si* usurpatur (13: ies).

Cum aliquid futurum esse affirmatur, *ni* (9:ies *nisi* (6:ies), *si non* (5:es) usurpatur.

Ex 33 exemplis, quae ad futurum tempus spectant, 28 futurum exactum, 5 futurum simplex habent. Et ex ipsa ui, qua apud priscos praeditum fuisse futurum exactum inter omnes constat, intelligitur hoc tempus proprium fuisse huius generis sententiarum. Nam saepe futurum exactum, de cuius usu inspicias Maduigii opuscula academica [1], «celeritatis notationem uel rei paene iam ad exitum perductae» habet. De uerbo saepissime in fine uersus posito cf. p. 3, 23.

Futurum exactum in protasi.

Amph. 671. *si situlam cepero,*
Numquam mihi diuini quicquam creduis post hunc diem,
Ni ego illi puteo, si semel occepso, animam omnem intertraxero.

Asin. 854. *Neque diuini neque mi humani quicquam adcreduas,*

---

[1]) editio iterum collecta pag. 472, editio prior II, pag. 90.

Pseud. 950. *Nisi effecero, tum cruciabiliter cum carnufice me accipito.*

[*nisi* A. *ni* Bothius. Ritschelius.]

Stich. 436. *Me in culpa habeto, nisi probe excruciauero.*

Aul. 250. *Si hercle ego te non elinguandam dedero usque ab radicibus,*

Inpero atque auctor sum, ut tu me quoi uis castrandum loces!

Cas. 1001. *Si umquam posthac aut amasso Casinam aut occepso modo*

Ne ut eam amasso; si ego umquam adeo posthac tale admisero,

Nulla causast, quin pendentem me, uxor, uirgis uerberes.

[Madwig recte uidetur u. 1002 damnasse; Schoell retinet.]

Merc. 311. *Sei mouero me seu secari sensero,*

Lysimache, em auctor sum uti me amando enices.

[*sei* A, *si* reliqui. *mouero* A. *moueo* FZ. *secare censeor* B].

Rud. 1348. *Illaec aduorsum siquid peccasso Uenus,*

Uenoror te ut omnes miseri lenones sient.

Men. 471. *Non hercle ego is sum qui sum, ni hanc iniuriam*

Meque ultus pulchre fuero.

Most. 212. *Perii hercle, ni ego illam pessumis exemplis enicasso.*

[de hoc exemplo uide infra.]

Fortasse eiusdem generis:

Cist. 275. . . . *si conclusos uos me habere in carcere,*

* *bi toties edis amoris noctesque et dies*
Ni emortuos tra * * * *mo* * *
[A: *siconclusosuos* * * *habereincarcere* .
— *bitoteestd* * * *amorisnoctesquectdies*
n * *emortuusera* — *mo* —].

Cum haec tot exempla indicatiuum praebeant, non dubitare possumus, quin Pseud. 1070 pro coniunctiuo leuissima coniectura indicatiui forma restituenda sit.

Roga me uiginti minas,
† Si ille hodie illa sit potitus muliere,
Siue eam tuo gnato hodie ut promisit dabit.

[*si ille hod* . . . A. *ille hodie illa* BCF. *illae hodie illa* DZ. editores ordinem uerborum uerterunt.

Pro *sit* (u. 1071) scribundum esse censeo *erit* ob similitudinem ceterorum exemplorum; conferenda est ea quoque regula, quam pag. 39 attuli, qua semper, cum in apodosi imperatiuus legeretur, indicatiuum poni oportere dixi. Denique est obseruanda indicatiui forma *dabit* in uersu 1072. Scite Brugmann correxit, (pag. 13.): *Si illic hodie illac erit potitus muliere*].

Futurum simplex in protasi:

Capt. 625. *Hoc si secus reperies, nullam causam dico quin mihi*
Et parentum et libertatis apud te deliquio siet.

Most. 433. *Uerum si posthac me pedem latum modo*
Scies inposisse in undam, hau causa est ilico
Quod nunc uoluisti facere quin facias mihi.
[*Scies* DcFZ. *Sies* BaCDa. *s*.es* Bb].

Persa 294. *Atque id fiat,*

Nisi te hodie, si prehendero, defigam in terram colapheis.

Rud. 753. *Ni offerumentas habebis pluris in tergo tuo*
Quam ulla nauis longa clauis, tum ego ero mendacissumus.
Poste aspicito tu meum, quando ego tuom inspectauero:
Ni erit tam sincerum, ut . . .
Quid causaest quin uirgis te usque ad saturitatem sauciem?

[u. 756 *nisi* BCDFZ. *ni* Camerarius cum A.]

Apodosis uerbum saepissime forma coniunctiui (optatiui aut iussiui) est [12:ies. Amph. 671, Asin. 854. Bach. 847, Cist. 497, (499), 522. Most. 192, 222, Poen. 1280. Persa 164, 294, Truc. 306] aut imperatiui [11:ies, Capt. 896, Bach. 555, Men. 156, Mil. 21, 565. 927, Pseud. 510, 520, 950. 1070, Stich. 436]. Pro imperatiuo et coniunctiuo aliud genus dicendi, eadem ui praeditum, (*haud causa est quin, quid causae est quin, inpero, auctor sum ut* . . . etc.) 7:ies inuenitur [Aul. 250, Capt. 625. Cas. 1001. Most. 433. Merc. 311, Rud. 757, 1348].

Indicatiuus in apodosi inuenitur:

Men. 471. *non hercle is sum qui sum*
Rud. 753. *tum ego ero mendacissumus.*

Ad quae exempla etiam contuli Most. 212: *Perii hercle, ni ego illam pessumis exemplis enicasso.* Nam apparet detestationis uim in hoc inesse exemplo. Lorenz ad hunc uersum adnotauit: «*Perii*» sehr energisch für «*peream*» oder «*peribo*», mit fut. ex. im Ne-

bensatze, Men. 416, Amph. 320, 428, Glor. 163, Rud. 810». Quod uix rectum est. Nam Most. 212 *perii* pro coniunctiuo *peream* uidetur esse, illis autem locis pro futuro *peribo*. Neque tamen ideo pro certo statuere possumus, Plautum hac forma *perii* tali ui praedita usum esse. Nam u. 208—223 alteri recensioni quin recte tribuerit Ladewig, uix dubium esse potest nec recte Ussing Cist. 581 (= Uss. 416) ita conformauit:

Perii, si hercle hoc longe destiti Instare usque adeo, donec se aduirat anus Iam mihi monstrare.

[*periisti* libri: uerum indagasse uidetur Scholl, u. ad h. u.]

Si quaeras, quam ob rem cum cetera exempla optatiuam formam habeant, in his solis simplex indicatiuus inueniatur, facillima est explicatio. Nam iam inter omnes constat coniunctiuum primae personae optatiui ui praeditum non usitatum fuisse apud priscos scriptores [1]). Quod cum ita esset, facile intelligitur, nostros poetas, qui uulgare genus sermonis imitarentur, non solum circuitionibus, sed etiam indicatiuo coniunctiui uice usos esse, ubi de sensu interpretationeque dubitari non posset. Conf. Mil. 23.

Apud Terentium nullum exemplum, detestationis ui praeditum, inueni, quod ad futurum tempus spectaret.

b) Rarius exempla inueniuntur praesentis temporis (4 Plaut., 3 Terent.)

Cum aliquid fieri negatur, particula *si* usurpatur (quater).

Cum aliquid fieri affirmatur, particula *ni* usurpatur (bis) aut *si non* (semel).

[1]) Uide Schmalz, Lat. Syntax § 31.

Haec exempla inueni:

Bach. 504. *Nam mihi diuini numquam quisquam creduat,*
Ni ego illam exemplis plurumis planeque —
amo.

Amph. 933. *Id ego si fallo, tum te, summe Iuppiter,*
Quaeso Amphitruoni ut semper iratus sies.

Merc. 308. *Decide collum stanti, si falsum loquor.*
[*loquor* A. *loquar* reliqui.]

Trin. 992. *Di me perdant, si te flocci facio an periisses*
prius.

Ter. Ad. 137. *Aegrest: alienus non sum: si obsto . .*
em, desino.

Ad. 700. *Di me, pater,*
Omnes oderint, ni magis te quam oculos nunc
amo meos.

Phorm. 994. *Abi tange: si non totus friget, me enica.*

Apodosis coniunctiuum ter praebet (Bach. 504, Trin. 992, Ad. 700), imperatiuum bis (Merc. 308, Phorm. 994); pro quo aliud genus dicendi Amph. 933. In Ad. 137 apodosis per ἀποσιώπησιν addita non est.

c) Perfecti temporis exempla sunt apud Plautum 10, apud Terentium 1.

Cum aliquid factum esse negatur, particula *si* usurpatur (8:ies).

Cum aliquid factum esse confirmatur, *ni* inuenitur (bis), *nisi* (bis), [*si non* (semel)?]

Exempla afferam:

Aul. 645. *Di me perdant, si ego tui quicquam abstuli*
Niue adeo abstulisse uellem me.

Cas. 246. *Di me et te infelicent.*

Si ego in os meum hodie uini guttam indidi.

Mil. 833. *Di me perdant, si bibi,*
Si bibere potui.

[*potui* FZ. *potuisti* BCD.]

Poen. 488. *Si hercle istuc umquam factumst, tum me Iuppiter*
Faciat ut semper sacruficem, numquam litem.

Truc. 331. *Di me perduint,*
Si te reuocaui!

[*Si te reuocaui* Seyffertus cum Bothio. *Qui te reuocabi* B. *renocaui* CD.]

Pseud. 543. *Si sumus conpecti seu consilium umquam iniimus*
Aut de ea re umquam inter nos conierauimus,
Quasi quom in libro scribuntur calamo litterae,
Stilis me totum usque ulmeis conscribito.

[*iniimus* Bothius, Kampmannus, Fleckeisenus. *inimus* libri. *conierauimus* Goetz. *conueniamus* BCD.]

Amph. fragm. XIII. *Nisi hoc ita factumst proinde ut factum esse autumo,*
Non causam dico quin uero insimules probri.

Men. 816. *Si ego intra aedis huius umquam ubi habitet penetraui pedem,*
Omnium hominum exopto, ut fiam miserorum miserrumus.

Rud. 1070. *Ni istum cepi, nulla causa est, quin me condones cruci.*

Ter. Ad. 483. *Immo hercle extorque, nisi ita factumst, Demea.*

De lectione Amph. 572 dubitant editores: in codicibus legitur: *Merito maledicas mi, si id ita factumst. Ita* delet Ussing. Neque dubium est, quin per sententiam sic scribi possit, propter metrum autem fortasse est praeferendum id, quod plerique scribunt: *si non id ita factumst.* Fleckeisen [1]) hoc exemplum explicans ualde errauit: neque enim uidit protasin negationis uerbo omisso bene defendi posse (spectantem ad uersum proximum «*etiam qui ludos facis*») neque intellexit indicatiui formam, quae in protasi legitur, ueram esse, cum pro potentiali acciperet illum coniunctiuum *maledicas;* quem iussiuum esse apparet.

In apodosi coniunctiuus inuenitur 6:ies (Amph. 572, Aul. 645, Cas. 246, Mil. 833, Poen. 488, Truc. 331), imperatiuus bis (Pseud. 543. Ad. 483); pro quo aliud genus dicendi ter inuenitur (Amph. fragm. XIII, Men. 816, Rud. 1070).

In protasi horum exemplorum, quae supra (pag. 43—52) tractaui, indicatiuum semper usurpari iam supra dixi. De quo recte Reisig [2]): «Ferner beim Schwören, wenn irgend eine Handlung versichert oder geleugnet werden soll, welche konditional gestellt ist mit si, z. B wenn man schwört, man wolle umkommen, wenn man etwas gethan habe, so ist der Indicativ im Konditionalsatze notwendig, was einen klaren logischen Grund hat; denn der Schwur hat die Absicht, irgend eine Gewissheit auszudrücken, und die

[1]) Nov. ann. t. 95, pag. 633.
[2]) Reisig, Vorlesungen herausg. von Haase pag. 639.

Verwünschung oder Beteurung soll nur gelten unter der Bedingung der Wirklichkeit einer Sache».

De Pseud. 1070, ubi codicum lectio uitiosa est, iam mentionem feci; unum autem est exemplum, ubi coniunctiui modum iustum esse apparet, Aul. 645 *Di me perdant, si ego tui quicquam abstuli niue adeo abstulisse uellem.* Nam potentialis est coniunctiuus, quem apparet cum in aliis enuntiatis tum hic bene usurpari posse. Cf. Reisig, Vorlesungen herausg. von Haase, neu bearbeitet von Schmalz und Landgraf, pag. 411 adn.

Denique de usu particularum *nisi* et *ni* in his enuntiatis mentionem faciam. Inter quas particulas cum iam supra confirmauerim nihil interesse, hic addo, Brugmannum de his detestationis exemplis temere statuisse, cum primaria affirmatiua esset, *nisi* particulam adhiberi, cum negatiua, *ni* particulam [1]; quod discrimen et ratione caret neque exemplis confirmatur. Uide Most. 222, Mil. 92, Pseud. 520, Aul. 645, Ad. 700, quae exempla, licet unum alterumue genuinum non sit, tamen ut omnia a Plauto et Terentio abiudicemus, fieri non potest. Conf. praecipue Amph. fragm. XIII *Nisi hoc ita factumst . . . non causam dico quin . . .* et Rud. 1070 *Ni istum cepi, nulla causa est quin . . .*

§ 5. De sponsione.

His exemplis, quae § 4 tractaui, proxime coniungenda sunt ea, quae sponsionis quae uocatur uim ha-

[1]) l. l. pag. 16.

bent. Priusquam ad rem tractandam transgredior, exempla ipsa afferam.

Cas. 75. *Id ni fit, mecum pignus si quis uolt dato*
In urnam mulsi.

Persa 186. *Da hercle pignus, ni omnia memini et scio.*

Poen. 1242. *Da pignus, ni nunc perieres, in sauium, uter utri det.*

Epid. 699. *Aio, uel da pignus,*
ni ea sit filia.

Truc. 275. *Pignus da, ni ligneae haec sint quas habes Uictorias.*
[*sint* A. *sunt* ceteri.]

Epid. 700. *Ni ergo matris filiast,*
In meum nummum, in tuom talentum pignus da.

Rud. 712. *Tace aut cedo*
De senatu Cyrenensi quemuis opulentum arbitrum,
Si tuas esse oportet niue oportet esse liberas
Neu te in carcerem conpingi est aequom . . .

Rud. 1380. *Cedo quicum habeam iudicem*
Ni dolo malo instipulatus sis niue etiam dum siem
Quinque et uiginti annos natus.

Dissensio de explicatione et structura horum exemplorum permagna est. Neque operae pretium uidetur esse omnium doctorum uirorum de hac re sententias afferre, quas si uelis cognoscere adeas Brugmanni librum [1]). Duae imprimis res sunt, de quibus

---

[1]) pag. 9 sequ.

disputatur: de particulis *ni* et *si*, quae significationem prorsus contrariam ei, qua praeditae esse solent, habere uidentur, et de modis protasis.

De usu particularum *ni* et *si* in his exemplis quaestio est difficillima, dissensio maxima. Quod si sententias uirorum doctorum diligentius examinamus, intimamque in huius rei disputationem uenimus, re uera magis inter se congruunt quam primo obtutu crediderimus. Nam si a Kelleri sententia discedimus, qui *ni* formam uetustiorem esse pro *ne* — quae licet alias ob causas ut defendatur fieri possit, in ea re infirmatur atque infringitur, quod sic minime explicatur usus particulae *si*, cum rationes particularum *ni* et *si* hic inter se ita cohaerere debeant, ut si illius particulae usum explanes, eo ipso huius quoque usum explanatum esse oporteat [1] —: restant duae sententiae, puae quamquam inter se prorsus contrariae uidentur, tamen ita reapse congruunt, ut si eas penitus perspexerimus, una eademque explicationis uia esse cernatur, quae diuersis tantummodo rationibus nitatur. Altera explicatio ab eius qui prouocat ratione proficiscitur: cum enim protasin is eloquatur, menti eius obuersari pignoris amissionem. Sic sub illa formula *pignus da* intelligitur et quasi comprehenditur aliud quoque atque ipsa uerba significant uel, cum illa sponsionis uerba proferuntur, aliud ante mentem eius qui loqui-

[1]) Id quidem cogitari potest, ex initio tali modo esse exortum hunc usum particulae *ni*, tum hac primaria ui subinde exoleta, *ni* ex quo ortum esset cum obliuiscerentur, *si* particulam similiter adhibitam esse; quod tamen uix ueri simile esse uidetur.

tur, simul uersatur. Ita Huschke: «. . . dem Schriftsteller, welcher über die Sponsio berichtet, das Risiko vorschwebt, welches der Stipulator läuft im Falle der Niederlage, wenn es also *nicht* so ist». Item Rein: «Der Schriftsteller zog die Fassung der Restipulatio vor, weil diese für den Stipulator wegen der damit verbundenen Gefahr die Hauptsache ist». Item Mommsen: «. . . dem Sprechenden anstatt des Sieges 'wenn dem so ist' vielmehr die Niederlage 'wenn dem nicht so ist' sich unterschiebt» [uide Brugmann l. l. pag. 10]. Altera explicationis uia, quam proposuit Brugmann (l. l.), ab eius, qui prouocatur, ratione proficiscitur. Sed ne sic quidem difficultatem rei explicandae summouet. *Pignus da, ni omnia memini* ita uertendum esse censet Brugmann: *'setze einen Preis darauf, riskiere ein Pfand, wenn ich nicht alles weiss'*. Tamen ne hoc quidem modo si uertimus, nexus sententiarum satis aptus uidetur, nec praeceptis logicae quae uocatur artis sic satisfacimus; quod non fiat nisi dicamus: *pignus da — et recipias, ni omnia memini, riskiere ein Pfand — du wirst siegen, wenn ich nicht alles weiss.* Nam apparet, eum *in discrimen committere pignus (das Pfand riskiere)*, siue ille qui prouocat uere dicit siue non. — Et haec igitur et illa explicatio quadam breuiloquentia nititur, et quae differentia inter hanc et illam esse uidetur, ea re uera minimi momenti est. Nam in sponsione idem sane est dicere: *ni uere loquor, pignus ego amittam* et *ni uere loquor, pignus tu recipias.* Negare autem non possum, illam explicationem mihi et simpliciorem uideri et eo commendari, quod sic haud

scio an propius haec exempla accedant ad similitudinem eorum detestationis exemplorum, quae proxima § tractaui.

Altera quaestio est de modis protasis. Cum ex octo exemplis, quibus sponsio inest, quater indicatiuus, ter coniunctiuus in optimis codicibus legatur [Truc. 275 A coni., Palat. ind.], Brugmann contendit omnibus locis (Rud. 1380 excepto, ubi oratio obliqua ualeat) pro coniunctiuo esse restituendum indicatiuum, ea regula nisus, cuius mentionem iam feci, qua semper, ubi apodosis imperatiui modum praebeat, in protasi indicatiuus legatur. Quam regulam omnino ueram esse multitudo exemplorum confirmat. Neque nego in his sponsonis quoque exemplis ualde mihi placere illam modorum conuenientiam. Attamen cum ex octo exemplis ter de coniunctiuo libri consentiant, ea quae illi regulae repugnant, corrigere uix audeo, donec de origine et explicatione sponsionis exemplorum quidquam certi statutum erit. Atque etiam, si per breuiloquentiam, ut equidem crediderim, sunt explicanda, in uerborum nexu singulari causa cogitari potest, cur modo indicatiuus modo coniunctiuus ponatur. Quare tutius credo esse formas in codicibus traditas seruare.

§ 6. Sentenita condicionalis post uerba affectuum.

Persaepe post uerba affectuum sententia condicionalis inuenitur. Quare sunt qui credant, *si* particulam sic positam eandem significationem saepe habere

atque particulam causalem. Ita Rotheimer pag. 5: «saepe *si* prorsus instar particulae causalis est». Et Draeger (Hist. Syntax II § 552): «Verba der Affecte im Hauptsatz sollten ihren Nebensatz entweder mit *quod* oder mit dem Accus. c. inf. bilden, doch steht dafür nicht selten, wie im Griechischen, ein Bedingungssatz, selbst dann, wenn derselbe eine Thatsache enthällt. Man erklärt dies durch Brachylogie: '*wenn* es so ist, so werde ich darüber, *dass* es so ist, afficiert'. Ein Gräcismus ist nicht zu statuiren, da Beispiele schon bei den ältesten Autoren vorkommen».

Tamen *si* particulam «prorsus instar particulae causalis» usurpari posse nego. Nam apparet eas quoque res, quae re uera factae sint (Thatsache!), sic afferri posse, ut de earum ueritate dubitatio quodam modo sit. Ita persaepe apud Plautum et Terentium enuntiationes inuenimus, quae narratione uerbisque alterius personae nitantur, ut sententia ita explicanda sit *si id uerum est quod narras*. De causali ui talium enuntiationum postea disputabimus; hic sufficiat meam sententiam afferre, qua nusquam particula *si* ui prorsus causali praedita sit. Exemplum perlucidum est Poen. 1326:

gaudeo et uolup est mihi
Si quid lenoni huic optigit magni mali,
Quomque e uirtute uobis fortuna optigit.

Nam de ea re, quam paulo ante (u. 1324) audiuit et ante oculos uidet miles, usurpatur *quom:* ex qua re lenoni quid mali obtigisse cum maxima quidem probabilitate concludere posset nec tamen certo sciret

miles, quippe qui res, quae antecessissent adiunctaeque essent, non cognouisset, aptissime utebatur particula *si*. Ex quo colligere licet, quam tenui subtilique discrimine *si* et *quom* particulas distinxerit poeta. Magis perspicue *si* et *quia* disiunguntur aliis locis ut Capt. 259 *Neque pol tibi nos, quia nos seruas, aequomst uitio uortere Neque te nobis si abeamus hinc, si fuat occasio.*

Quia causalem, *si* uere condicionalem uim habet, *quia* de re facta, *si* de re sumpta dicitur.

Multa sane et uaria uerba affectuum sunt, post quae particulam condicionalem inuenimus.

1) Maxime uulgata est particula condicionalis post uerba *mirum (est)*, *mira sunt*. Post quae *si*, *nisi*, *ni*, *(si non)* reperiuntur.

Cum *si* usurpatur, apodosis negatiua aut interrogatiua est (excepto Cas. u. 179 *mira sunt. uera si praedicas)*.

Cum *nisi* et *ni* usurpantur, apodosis affirmatiua est. Exempla afferam :

a) *nisi, ni.*

Amph. 283. *Mira sunt, nisi inuitauit sese in cena plusculum.*

[*mirum si inuitauit* Nonius. *mirum nisi si is* Guyetus].

Amph. 431. *Mira sunt, nisi latuit intus illic in illac hirnea.*

Bach. 449. *Quom huius dicta intellego,*
Mira sunt ni Pistoclerus Lydum pugnis contudit.

Capt. 805. *Mira edepol sunt ni hic in uentrem sumpsit confidentiam.*

Trin. 861. *Mira sunt,*
Ni illic homost aut dormitator aut sector zónarius.

Pseud. 1216. *Mira sunt. ni Pseudolust.*
[«*Ni* in A fuisse uidetur, om. BCDFZ, add. Pylades»].

Poen. 839. *Omnia edepol mira sunt, nisi erus hunc heredem facit.*
[*nisi* Camerarius, *nesi* (u. *ne si* BCDFZ].

Capt. 824. *Mirumque adeost, ni hunc fecere Aetoli sibi agoranomum.*
[$^{i}_{u}$ E. *nisi* Z. *fecere* B. *fecerunt* EJFZ.]

Amph. 319. *Mirum ni hic me quasi murenam exdorsuare cogitat.*
[*ni* codd. Pal. 5 et 6: *ne* libri. *nisi* Camerarius.]

Cas. 554. *Atque edepol mirum, ni subolet iam hoc huic uicinae meae.*

Persa 442. *Mirum ni citius iam a foro argentarii*
Abeunt . . .
[codic.: *mirum quin.* correxit Langen.]

(De Vid. frgm. 184 (Winter: u. 77 Goetz) *uide* Brugmanni librum p. 17.)

Ter. Andr. 598. *Mirum ni domist.*

Heaut. 663. *Mirum ni illa salua est et ego perii.*
[*nilla* A. *ne illa* BCDE[1]F[1]P[1] (*ni* corr. rec. E, F[2]P[2] cum G)].

Eun. 230. *Mirum ni egomet turpiter hodie hic dabo*
Cum meo decrepito hoc eunucho.
[*ni* ex *ne* CG.]

Eun. 344. *Mirum ni hanc dicit . . .*

Eun. 711. *Mirum ni credis quod iste dicat.*

[*ne credas* A. *ni tu credas* BCDEFGP. *credis* Fabricius: *mirum ni tu credis quod iste dicit* Donatus in lemmate: et sic scribendum esse credo.]

Eun. 1083. ***Mirum ni illoc hominc quoquo pacto opust.***
[$^{ni}_{ne}$ DG. corr. D^2G^2].

b) *si*

Mil. 1041. ***Ecastor haud mirum, si te habus carum.***

Truc. 305. ***Nil mirum — uetus est maceria — lateres si ueteres ruont.***

Cas. 191. ***Mira sunt, uera si praedicas.***

Ter. Andr. 651. ***Quid istuc tam mirumst, de te si exemplum capit.***

Andr. 755. ***Mirum uero, inpudenter mulier si facit Meretrix?***
[*faciat* G.]

Cf. Hec. 709. ***Non mirum fecit uxor, si hoc aegre tulit.***

Mirum (est) et ***mira sunt*** promiscue usurpari uidentur ita, ut illa formula subinde usitatior facta sit, quod et ex exemplis concludere licet et ex eo quod in formula ***mirum est*** uerbum ***est*** omissum fere uidetur esse. Contra ***mira sunt*** semper copulam seruat. Nam Epid. 553 ***mira ni me noris*** coniectura est Acidalii, quae neque codicibus nititur neque probabilis esse uidetur et ob coniunctiuum, qui alibi in his formulis non legatur, et ob hoc ipsum uerbum ***sunt*** omissum.

Deinde obseruandum est, post ***mira sunt*** pari fere numero usurpari ***nisi*** et ***ni*** (***nisi*** ter, ***ni*** quater). Post ***mirum (est)*** semper ***ni*** usurpatur. (cf. § 15 init.).

Duae igitur res sunt, quae satis confirmant formulam *mirum (est)* usitatiorem fuisse: et illa particula *ni* semper usurpata, et copula *est* ubique omissa [1]) (excepto Capt. 824 post *adeo: mirumque adeost*). Quod etiam clarius fiet, si quem ad modum usus huius formulae apud priscos processerit, inspiciemus. Apud Plautum *mira sunt nisi* et *mira sunt ni* aequo fere numero inueniuntur (ter et quater), *mirum est ni* uno loco *mirum ni* ter. Apud Terentium nullo loco *mira (sunt)*, ubique *mirum ni* legitur.

Uno loco apud Plautum *nisi mirum est* inuenitur, Pseud. 1213 *Tu, nisi mirumst, leno, plane perdidisti mulierem. Nimirum* autem quo uersu apud Plautum legitur, eum merito et Ussing et Langen (Beiträge pag. 135) in suspicionem uocauerunt, Aul. 390. *Nimirum occidor nisi ego intro huc propere propero currere.*

Apud Terentium ter legitur.

Eun. 268. *Salua res est. Ni mirum homines frigent.*

Eun. 508. *Ni mirum, dabit haec Thais mihi magnum malum.*

Eun. 784. *Ni mirum, consilium illut rectumst de occludendis aedibus.*

De Epid. 533 *mira ni me noris,* coniectura Acidalii, supra iam dixi.

Denique animaduertendum est, id quod primo

---

[1]) Cf. Schmalz, Syntax § 10: . . . »die Ellipse von esse . . . findet sich im Indikativ in Sprichwörtern und Sentenzen, beschränkt sich sonst aber in der alten und der klass. Sprache auf gewissen Formeln der Umgangssprache« . . .

iam obtutu cernitur. saepe in his enuntiatis, quae a *nisi* aut *ni* incipiunt, quandam ironicam uim ualere.

2) Saepe post uerbum quoque, quod est *mirari*, reperitur sententia condicionalis. In quibus exemplis a *si* particula initium sumit protasis. Et ut illic, ubi *mirum est* etc. in apodosi legebatur, haec negatiua fere erat, cum a *si* incipiebat protasis, affirmatiua, cum a *nisi* aut *ni* incipiebat, ita hic, ubi semper *si* usurpatur, primaria negatiua fere est.

Haec exempla inueni:

a) Apodosis negatiua (aut interrogatiua) est:

Amph. 29. *Mirari non est aequom, sibi si praetimet.*

Bach. 409. *Minus mirandumst illaec aetas si quid illorum facit*
Quam si non faciat: feci ego istaec itidem in adulescentia.

Asin. 907. *Si non didicisti fulloniam,*
Non est mirandumst.

[Haec uerba interpolata esse putat Weisius.]

Capt. 545. *Edepol minume miror, si te fugitat aut oculos tuos*
Aut si te odit . . .

Curc. 265. *Nihil est mirandum, melius si nil sit tibi.*

[*nihil sit* EJFZ. *nihil fit* B, quod haud scio an sit legendum. uide infra.]

Mil. 1326. *Nam nil miror, si lubenter, Philocomasium, cum hoc eras.*

Merc. 784. *Non miror sei quid damnei facis aut flagiti.*
[*sei* A. *si* BCDFZ.]

Pseud. 442. *Id tu mirare, si patrissat filius?*

[*id tu* Goetz. *id ne tu* codd. *mirare* A. *mirari* BCDZ. *miraris* F.]

Persa 619. *Nolo ego te mirari, si nos ex te percontabimur*
Aut patriam tuam aut parentes.

Rud. 505. *Pol minume miror, nauis si fractast tibi.* [*facta sit* F].

Ter. Heaut. 383. *Minimeque, ita me di ament, miror si te sibi quisque expetit.*

Heaut. 525. *Minimeque miror, Clinia hanc si deperit.*

b) Apodosis affirmatiua est:

Amph. 772. *Enimuero illud praeter alia mira miror maxume,*
Si haec habet illam.

Ter. Andr. 175. *Mirabar, hoc si sic abiret.*

Phorm. 490. *Mirabar si tu mihi quicquam adferres noui.*

Inter Plauti et Terentii sermonem aliquid interesse uidetur. Ex undecim Plauti exemplis unum apodosin affirmatiuam habet, ex quatuor Terentii duo habent. Apud Plautum uerbum semper est praesentis temporis, apud Terentium in illis duobus exemplis, quorum apodosis affirmatiua est, tempus est imperfectum. Apud Plautum semper protasis indicatiui modi est (de Curc. 265 u. infra); apud Terentium illa duo exempla coniunctiuum habent. Quod si consideramus, concedendum est, apud Terentium uerbum *mirandi* uim significationemque adeptum esse, quae a Plauti sermone aliena esset: apud Plautum semper est uertendum: *det väcker (ej) min förvåning, i fall det förhåller sig så* — apud Terentium autem interdum: *jag undrar*

om (huruvida), i e. a ui particulae interrogatiuae hic haud multum recedit significatio particulae *si*.

Ex eo quod supra diximus ueri simile mihi quidem uidetur lectionem editorum Curc. 265 *Nihil est mirandum, melius si nil sit tibi* falsam esse. Codex B pro *sit* habet *fit*, neque uideo, quid obstet, quominus hanc scripturam accipiamus, cum cetera Plauti exempla indicatiui formam commendent.

3) Tum post *satis est*, *satis habeo* particula *si* inuenitur. Quod Draeger (Syntax II § 552 c)) dixit: «nachklassisch ist *satis esse* oder *haberi*, *si* nach Analogie des griech. ἀγαπᾶν εἰ . . . zuerst bei Horaz» falsum est.

Exempla afferam:

Amph. 509. *Satin habes, si feminarum nullast quam aeque diligam?*

Bach. 911. *Satin est, si plura ex me audiet hodie mala*
Quam audiuit umquam Clinia ex Demetrio?

Capt. 117. *Semel fugiendi si datast occasio,*
Satis est — numquam postilla possis prendere.

Capt. 446. *Satin habes mandata quae sunt facta si refero?*

Most. 389. *Satin habes, si ego aduenientem ita patrem faciam tuom,*
Non modo ne intro eat, uerum etiam ut fugiat longe ab aedibus?

Most. 654. *Petito cras — Abeo: sat habeo, si cras fero.*
[*peto* A.]

Mil. 1173. *Satin praeceptumst? — Teneo. satinest, si tibi*
Meum opus ita dabo expolitum, ut inprobare non queas?

Pseud. 112. *Satin est, si hanc hodie mulierem efficio tibi Tua ut sit. aut si tibi do uiginti minas? — Satis, si futurumst.*

Ter. Phorm. 604. *Petam hinc unde a primo institui: is si dat. sat est.*
[*instiisse* A. *si is* BCDFP.]

Phorm. 856. *Satine est si te delibutum gaudio reddo?*
[*Satine* A. *satin* reliqui.]

Eun. 485. *Ubi tempus tibi erit, sat habet, si tum recipitur.*

Apodosis interrogatiua fere est, interdum affirmatiua. Protasis saepissime ad futurum tempus spectat, pro quo tempore praesens plerumque usurpatur. Nam ut postea uidebimus, interdum pro futuro in condicionalibus sententiis praesens inuenitur, quod maxime fit, si apodosis praesentis temporis est.

4) Post alia uerba affectuum particula condicionalis legitur.

accuso: Men. 799. Trin 95 *(«si —, id accusas»).*
curo: Most. 889 (Ussingii lectio (u. 872)).
delinquo: Amph. 817.
doleo: Men. 439.
flagitium est: Mil. 694. Pseud. 1248.
gratiam habeo: Poen. 640, Ter. Phorm. 56.
gaudeo: Men. 1144, Poen. 1326. Persa 502. Rud. 1285. Trin. 53. 310; Ter. Andr. 40.
ignosco: Aul. 793, Epid. 729, Men. 1073, Mil. 1252, Poen. 1411; Ter. Andr. 678, Eun. 42.
indignum est: Phorm. 1040.
irascor: Aul. 699.

iuuat: Ad. 255.
laudi est: Ad. 382.
miseria est: Amph. 590.
molestum est: Asin. 830.
obiurgo: Trin. 96.
patior: Men. 670.
paenitet: Amph. 1124, Cist. 47.
pudet: Trin. 348.
suscenseo: Trin. 1166.
triumpho: Heaut. 672, Phorm. 543.
uitio uorto: Capt. 259, Rud. 700 (idcirco—si!)
uoluptas, uolup est: Amph. 994, Stich. 523, Mil. 947, Poen. 1192, 1326.

Apodosis affirmatiua, interrogatiua, negatiua esse potest. Particula semper nimirum est *si (si non)*, nusquam *nisi*, *ni*.

Nullo loco, ut iam supra dixi, *si* particula prorsus idem ualet atque particula causalis; quam uim cum habere uidetur, aut res affertur quae uera sit necne dubitetur, — ita saepe uerba referuntur, quorum ueritatem non comperit is qui loquitur, cum ab altero tantummodo audiuerit — aut de re facta cum quadam uerecundia et modestia agitur, ut saepe fit post uerba ignoscendi, exempli causa Men. 1073 *Quaeso ignoscas, si quid stulte dixi atque inprudens tibi* aut res generatim et uniuerse dicta affertur, ubi uidelicet *si* et *cum* promiscue usurpantur, prout is qui loquitur rem accipere uult.

§ 7. Uis finalis sententiae condicionali subest.

Notissima sunt ea exempla, quorum in apodosi uerba *exspectandi* leguntur. In protasi semper coniunctiuus inuenitur.

As. 528. *An te id exspectare oportet, si quis promittat tibi,*
Te facturum diuitem, si moriatur mater sua?

Cas. 539. *Miror huc iam non arcessi in proxumum uxorem meam,*
Quae iam dudum, si arcessatur, ornata exspectat domi.

Cas. 542. *Intus illa te, si se arcessas, manet.*

Pseud. 1033. *Cor conligatis uasis expectat meum,*
Si non educat mulierem secum simul,
Ut exulatum ex pectore aufugiat meo [1].

Poen. 12. *Iam dudum exspecto, si tuom officium scias* [2].

Poen. 1391. *Iam pridem equidem istas esse sciui liberas*
Et exspectabam, si qui eas assereret manu.

Trin. 98. *Exspecto si quid dicas.*

Truc. 692. *Strabacem hic opperiar modo,*
Si rure ueniat. — Is quidem hic apud nos est Strabax.

[*ueniatis* CD. *uenietis* B. *ueniat* Guyetus]

---

[1]) «*Si non* . . . *simul*» fortasse ad *exspectat* referendum non est, sed proximae sententiae («*ut* . . . *aufugiat*») subiungendum [= vänta på att, ifall han ej.]

[2]) Hoc exemplum non plautinum neque ad Plauti sermonem esse uix opus est dicere.

Cum aliud uerbum in apodosi usurpatur, in protasi plerumque legitur uerbum, quod est *posse* aut *quire,* cum infinitiuo iunctum, siue indicatiui modi siue coniunctiui. Cum de praeterito tempore agitur, semper coniunctiuus usurpatur; cum ad futurum tempus spectat res, apud Plautum indicatiuus usurpatur, si primae personae uerbum est, sin autem secundae aut tertiae, coniunctiuus. In his enuntiatis coniunctiuum esse obliquum recte, ut uidetur, statuit Brix (ad Trin. 921). De uno aut altero exemplo tamen dubitari potest, ut Most. 837.

Haec exempla inueni:

a) coniunctiuus praeteriti temporis:

Capt. 27. *Coepit captiuos conmercari hic Aleos,*
Si quem reperire possit, qui mutet suom.

Capt. 100. *Homines captiuos conmercatur, si queat*
Aliquem inuenire suom qui mutet filium.

Cist. 182. *Ille extemplo seruolum*
Iubet illum eundem persequi, si qua queat
Reperire quae sustulerit. Ei rei nunc suam
Operam usque assiduo seruos dat, si possiet
Meretricem illam inuenire . . .

Mil. 1207. *nam si possem ullo modo*
Inpetrare, ut abiret nec te abduceret, operam dedi.

Merc. 622. *quin percontatu's hominis quae facies foret,*
Qui illam emisset: eo si pacto posset indagarier
Mulier?

Trin. 119. *Ei rei operam dare te fuerat aliquanto aequius,*
Si qui probiorem facere posses . . .

[*possis* libri, *posses* cum Reizio Hermannus.]

b) Coniunctiuus praesentis temporis secundae et tertiae personae

Trin. 531. *Em istic oportet opseri mores malos,*
Si in opserendo possint interfieri.

Trin. 557. *Quin hic quidem cupit illum apse abalienarier,*
Si quem reperire possit, quoi os sublinat.

Most. 837. *At tu isto ad uos optuere, quoniam cornicem nequis*
Conspicari, si uolturios forte possis contui.

c) Indicatiuus praesentis temporis primae personae:

(ad quam similitudinem Rud. 890 *mea opera addici potest* = *possum facere, ut addicatur.*)

Bach. 1151. *Ego ad hunc iratum adgrediar, si possumus nos hosce intro inlicere huc.*

[*si* add. Ritschelius, om. libri.]

Curc. 701. *Animum aduortite huc, si possum hoc inter uos componere.*

Cist, 651. *Ibo persequar iam illum intro, ut haec ex me sciat*
Eadem, si possum tranquillum facere ex irato mihi.

Men. 417. *adsentabor, quidquid dicet, mulieri,*
Si possum hospitium nancisci.

Men. 1048. *Nunc ibo intro ad hanc meretricem, quamquam suscenset mihi:*
Sei possum exorare ut pallam reddat.

Rud. 890. *Uerum tamen ibo, ei aduocatus ut siem,*
Si qui mea opera citius—addici potest.

Trin. 921. *Quod ad exemplumst? coniectura si reperire possumus.*

Trin. 958. *Enim uero ego nunc sycophantae huic sycophantari uolo,*
Si hunc possum illo mille nummum Philippum circumducere.

Apud Terentium unum exemplum inueni. Quod ad Plauti usum non uidetur esse conformatum. Nam indicatiuus tertiae (uel. si mauis, secundae) personae legitur. Sed hic, ut saepius, credere licet Terentium non ad Plauti, sed ad recentiorum consuetudinem accessisse.

Heaut. 658. *Nescio, nisi ex ipsa quaeras unde hunc habuerit,*
Si potis est reperiri.

Rarius in protasi aliud uerbum (quam *posse* aut *quire*) inuenitur.

Haec exempla repperi:

Aul. 620. *perscrutabor fanum, si inueniam uspiam*
Aurum, dum hic est occupatus.

Cas. 806. *Quid si etiam is occentem hymenaeum si qui citius prodeant.*

[*Quid si etiam si offendam* A. *offendam* ceteri quoque, nisi quod *ostendam* F. *occentem* Pius corr. ex 'exempl. sinceris'].

Pseud. 1148. *Iamdudum, si des, porrexi manum.*

Persa 44. *Quaeram equidem, si quis credat.*

Trin. 148. *Ausculto si quid dicas.*

Cum his exemplis, quorum in protasi coniunctiuus legitur, conferenda sunt alia indicatiui modi, quibus uis finalis non in protasi inest, sed in sententia, quam cogitatione audire licet, ut in Aul. 209 *Redeo ad te, Megadore, si quid me uis*, quod sic explicandum est: *redeo ad te, ut si quid me uis, occasio tibi fiat eloquendi*, uel, *redeo ad te, ut si quid me uis id ego cognoscam.*

Epid. 448. *Sed istum quem quaeris Periphanem Plothenium*
Ego sum, si quid uis.

Men. 566. *Em hac abiit, si uis persequi uestigiis.*

Poen. 1063. *Memora dum mihi*
Si noui forte aut si sunt cognati mihi.

Persa 611. *Adduco hanc, si quid uis ex hac percontarier.*

Stich. 151. *nam illum ecastor mittere ad portum uolo,*
Si quae forte ex Asia nauis heri uel hodie uenerit.

Cf. § 8.

§ 8. De interrogatiua ui particulae si.

De ui interrogatiua particulae *si* apud priscos fabularum scriptores cum unus aut alter dubitauerit, tamen adhuc turba doctorum uirorum consentire fere uidetur. Ut iam illi ueterani (Madvig gram. § 451 d. alii) docuerunt, ita inter recentiores grammatices scriptores eadem de hac re sententia restat. Uelut Draeger, Hist. Syntax II § 553: «zuweilen hat der Bedingungs-

satz auch ganz die Bedeutung eines indirecten Fragesatzes . . .» Kühner. Gram. II § 219. 2: Hieran schliesst sich der nicht seltene Gebrauch von *si* statt eines Fragwortes, wie im Griechischen ganz gewöhnlich εἰ als indirektes Fragwort nach den Verben des Überlegens, Fragens, Versuchens u. s. w. gebraucht wird, und auch im Deutchen *wenn* und *ob* vielfach mit einander wechseln». (Exempla quae apud Draegerum et Kühnerum afferuntur, obseruanda sunt!); Brix ad Trin. 763 *Si* = ob wie u. 532, 748, 959, Capt. 28, 100, Mil. 1207 u. ö.; Schmalz. Synt. § 215.

Attamen iam Becker (De Syntaxi interrogationum obliquarum pag. 195) ueram rationem indagasse uidetur. Qui scripsit: «Denique moneo *si* particulam, ut uidetur, apud Plautum et Terentium nondum integram interrogatiuae particulae uim nactam esse, sed particulae condicionalis naturam atque notionem ex parte retinuisse. In nonnullis enim exemplis indicatiuus occurrit, in quibus si poeta particula uere interrogatiua usus esset, coniunctiuus flagitaretur».

Tum Blasium (de modorum temporumque . . . permutatione, pag. 22) hac de re dubitasse apparet, cum contenderit, nusquam illam interrogatiuam uim in particula *si* inesse, nisi ipsa enuntiatum principale sequeretur. Quam sententiam falsam esse concludere licet ex collatione exemplorum, quae et eiusdem significationis sunt et prorsus similia, nisi quod praecedit alterius protasis, alterius sequitur. Ut in his quae passim inueniuntur.

Uisam, si domist.
si domist, uisam.
Si quid uis, impera
impera, si quid uis.

Immo uero nihil credo interesse, utrum praeeat an sequatur protasis. At contra sententiam uulgatam mihi quidem persuasum est, nullo loco apud Plautum saltem inueniri particulam *si* significatione condicionali prorsus exutam et omnino eadem ui praeditam qua particulam uere interrogatiuam. Quod ut crederem, multae sane me causae mouerunt.

Primum animaduertendum est, nusquam post uerba rogandi usurpari *si* = *num*. Uno loco post tale uerbum *si* particula inuenitur Merc. 941 *Rogito quis eam auexerit, quis habeat, si indaudiuerit.* Ubi inter uerbum rogandi et enuntiationem a *si* particula incipientem intercedit uere interrogatiua, quae a pronomine *quis* incipit, sententia, ut illa condicionalis e similitudine eorum exemplorum, quae pag. 72 attuli, (Poen. 1063, Stich. 151 cet.) explicanda sit (suetice: jag frågar hvem som bortfört henne för den händelse att han skulle hafva hört det; haec contra Ussingium, u. eius ad h. l. adn.)

Deinde obseruandum est, ubique post uerba sentiendi, declarandi, imperandi indicatiuum in protasi inueniri cum in aliis exemplis tum in iis, ubi secundum usum Plauti et Terentii, si re uera esset sententia interrogatiua, coniunctiuus poneretur. Ut Becker in libro supra laudato diligentissime ostendit. Neque arbitremur oportet casu fortuitoque in tanta multitu-

dine exemplorum coniunctiuum non inueniri. Apparet igitur uere condicionales sententias esse. Haec afferam exempla:

Rud. 323. *At si uidistis dicito.*

Most. 187. *Quin mone quaeso si quid erro.*

Men. 142. *Iam sciam, si quid titubatumst, ubi reliquias uidero.*

Rud. 1094. *Si scelesti illius est hic quoius dico uidulus, Haec poterunt nouisse.*

Merc. 155. *Quin iam, priusquam sum elocutus, scis si mentiri uolo.*

[*scis si* Camerarius. *scisset* B. *scisse* reliqui. *scias si* Ritschelius. conf. Muellerus pros. plaut. p. 211].

Heaut. 618. *Abi nunciam intro, atque illa si iam lauerit, mihi nuntia.*

Hec. 320. *Uxorem Philumenam*
Pauitare nescio quid dixerunt: id si forte est nescio.

Neque enim operae pretium est omnia exempla afferre, ubi tales loquendi formulae inueniuntur, quae quales sint ex his exemplis uidere licet, quae passim apud Plautum et Terentium leguntur:

Si quid opus est impera
Si quid me uis impera
Si quid est opus dic inpetrabis
Immo si quid uis roga
Loquere si quid uis.

Obseruandus est uersus Poen. 1039: *Et tu edepol quisquis es,*
Et si quid opus est, quaeso, dic atque impera

ubi ex coniunctis enuntiatis *quisquis es* et *si quid opus est* uidere possumus hanc non esse interrogatiuam sententiam. (Alio modo uerba tamen coniungunt Goetz et Loewe.)

Neque magis post uerba uidendi et uisendi particulam *si* uim interrogatiuam habere credere licet. Nam hic quoque in secundaria indicatiuus ubique inuenitur, nisi uno loco Ad. 549 *nunc redeo: si forte frater redierit, uiso,* ubi tamen *redierit* pro coniunctiuo perfecti accipere necesse non est: nihil enim impedit, quo minus pro futuro exacto habeamus. Cf. infra.

Haec exempla inueni:

Persa 825. *Uide uero, si tibi satis placet.*

Trin. 748. *Uide si hoc utibile magis atque in rem deputas.*

Trin. 763. *Sed uide consilium, si placet.*

Phorm. 553. *Uide si quid opis potes adferre huic.*

Bach. 529. *Ibo ut uisam huc ad eum, si fortest domi.*

Cas. 591. *Uiso huc, amator si a foro rediit domum.*

Eun. 544. *Nunc mihi hoc negoti ceteri dedere, ut illum quaeram,*
Idque adeo uisam, si domist.

[*Ibo ad eum uisam si domi est* BCDEFGP.].

Heaut. 170. *Ibo, uisam si domist.*
[*ibo ut uisam* FP.]

Phorm. 899. *Demiphonem si domist*
Uisam, ut quod . . .

Ad. 549. *Nunc redeo: si forte frater redierit uiso.*

Credo in his exemplis *uisere* esse uertendum «*besöka, helsa på* (cuius rationis ueritas elucet inprimis

in Bach. 529, Phorm. 899), ad similitudinem ex. c. Aul. 176 *Ego conueniam Euclionem si domist;* item *uidere* absolute usurpari (= öfvertänka saken, betrakta saken: *si:* «för den händelse, att den skulle falla dig i smaken»).

Ut iam supra dixi, in Terentii Ad. 549 *nunc redeo: si forte frater redierit uiso* pro coniunctiuo habuerunt uiri docti uerbum *redierit* (u. Becker l. l. pag. 196). Quod quamquam non necesse est, cum futurum exactum esse possit, tamen utrum hoc an illud sit, pro certo statuere minime uelim. Nam cum apud Plautum talia loquendi genera, ubi *si* ui interrogatiuae particulae praeditum sit, non inueniamus, apud Terentium iam paulisper usus ita processisse uidetur, ut perpauca exempla apud eum sint, quibus ad uim interrogatiuam fere accedat protasis et particula pro interrogatiua facillime accipiatur. Tria huiusmodi exempla inueni. Eun. 838.

Uide amabo, si non, cum aspicias, os inpudens
Uidetur: non est? Tum quae eius confidentiast?

et illa exempla, quorum in protasi uerbum mirandi legitur (u. pag. 64).

Andr. 175. *Mirabar, hoc si sic abiret.*

Phorm. 490. *Mirabar, si tu mihi quicquam adferres noui.*

Ad extremum monendum est, id quod iam in praefatione attigi, ne cum simpliciter e primigenia significatione cuiusdam uocabuli expedire possimus usum consuetudinemque, ad posteriorem et secundariam explicationem refugiamus, dummodo res ne contorte, sed e legibus rationibusque linguae recte et aperte exponi posset. Quae explicatio imprimis laudanda est, si et

ab usu ipsius auctoris et a condicione naturaque sermonis commendatur. Ut res se habet in hac quaestione, de qua nunc agimus. Nam si cum aliarum linguarum, tum latinae inspicimus originem, facile reperimus, initio inter se ita connexas esse singulas sententias. ut alia iuxta aliam poneretur et omnes eiusdem ordinis essent. Sin autem classicorum scriptorum usum rationesque consideramus, alio modo inter se coniuncta esse enuntiata reperimus; nam ut quidque minoris momenti est, subiungitur. quo magis orbis sententiarum cohaereat. Sed apparet talem in uerbis iungendis commutationem non repente uel uno inpetu factam esse, sed subinde, prout homines intelligerent ad concinnitatem enuntiatiorum. ad pulchritudinem orationis. ad sententiam subtiliter perspicueque declarandam plurimum ualere illam comprehensionem et circumscriptionem uerborum. At inter sermonem classicorum arte compositum et antiquissimorum rudissimum medius erat Plauti et Terentii sermo, et prisco remanente usu, et nouo loquendi genere quasi affluente. Ad quod addendum est. fabulas nostrorum poetarum, quippe qui res quasi e turba populi inferioris peterent. etiam propius ad condicionem quotidiani sermonis accessisse. Quare haud mirum. si ad usum et regulas posteriorum temporum norma linguae plautinae minime statui potest.

Si ad ipsas enuntiationes condicionales-interrorogatiuas. de quibus agitur, hanc argumentationem accommodamus, apparet talem fere progressionem huius usus fuisse:

antiquissimi: *uidistis? dicite. — dicite: uidistisne? — dicite: num uidistis?*
[*dicite si* (i sådant fall): *uidistis?*
uisam si: domist?]

medii: *dicite uidistisne. — dicite, num uidistis.*
dicite. si uidistis.
uisam, si domist.

posteriores: *dicite, uideritisne. — dicite, num uideritis.*
uisam, si domi sit.

Illam plautinam formam *dicite si uidistis,* uere mediam esse inter priscorum et classicorum usum sermonis iam ex indicatiuo apparet, cum facile intellectu sit, si indicatiuus ponatur, non tam arte primariae subiunctam esse secundariam quam si conuinctiuus adhibeatur.

In hac igitur paragrapho ostendisse mihi uideor, apud Plautum *si* particulam in huiusmodi enuntiatis uim uere condicionalem retinuisse, neque ullo loco pro interrogatiua esse accipiendam, apud Terentium autem iam uno aut altero loco talia exempla inueniri, ubi suspicari liceat *si* particulam interrogatiua ui praeditam esse.

§ 9. Si significationem particulae si modo habet.

Langen (Beiträge p. 337 = Nachträge und Berichtigungen ad p. 49) negauit *si modo* particulae no-

tionem omnino inesse posse in particula *si*. Tamen hanc uim in *si* particula inesse posse tot exempla testantur, ut de ea re dubitare uix liceat. Id quidem facillime concedo, si in intimam rei disputationem ueniamus, in *si* particula non aliam uim inesse nisi condicionalem. Sed ipsa iunctura uerborum et sententiarum efficitur illa notio particulae *si modo*. Nam ut in iis enuntiatis, quibus uis sponsionis inest, haec ex quadam omissa animoque audita sententia elicienda est, ita hic quoque quaedam breuiloquentia statui debet. Neque enim protasis et apodosis altera ex altera ita aptae sunt, ut ratio atque nexus sententiarum postulare uidetur. Nam rata ueraque est apodosis, siue uera est protasis siue non uera. Ita exempli causa Curc. 299 ***Recte hic monstrat, si inperare possit.*** Quam codicum scripturam damnans Langen cum ***Recte hic monstrat se imperare posse*** coniecturam Dousae acceperit, temere sane egit. Et ut in aliis eodem loco (Beiträge p. 49) allatis exemplis, ita in hoc peccauit eo ipso, quod ad normam posteriorum scriptorum Plauti simplicem rudemque linguam examinare conatus est. Quod Langen pag. 48 ad Poen. III, 1, 47 scripsit, id quod etiam in nostro exemplo ualet, «ich vermag den logischen Zusammenhang zwischen Vorder- och Nachsatz nicht zu begreifen» — tantum abest, ut hoc uersum suspectum reddat, cum tali modo saepissime ordo cogitationum turbetur, ut contra causam optimam praebeat, cur in apodosi indicatiuus, in protasi coniunctiuus inueniatur. Quod Langen deinde de Ribbeckiana explicatione huius uersus dicit: «Zweitens heisst es *si*

imperare possit, während man nach Ribbecks Uebersetzung *liceat* erwartet: dass er befehlen *kann,* zeigt ja eben Curculio, aber er *darf* nicht»; omnibus apparet haec sophismata esse et spinosas subtilitates, quae ut a Plauti simplicissimo sermone aliena sunt, ita ab explicatione eius fabularum remoueantur. Etiam in ceteris huiusmodi exemplis — uno excepto — coniunctiuus reperitur.

Indicatiuus:

Poen. 915. *Proba materies datast, si probum adhibes fabrum.*

Coniunctiuus:

Capt. 850. *Scis bene esse, si sit unde.*

Poen. 550. *Omnia istuc scimus iam nos, si hi spectatores sciant.*

Stich. 112. *Scio ut oportet esse: si sint ita ut ego aequom censeo.*

Curc. 299. *Recte hic monstrat, si imperare possit.*

Trin. 557. *Quin hic quidem cupit illum apse abalienarier,*
Si quem reperire possit, quoi os sublinat.
[*possit* A. *posset* ceteri]

Conf. Amph. 891. *Faciundumst mihi illud, fieri quod illaec postulat.*
Si me illam amantem ad sese studeam recipere.

[Quin Langen uersum 892 iure damnauerit, uix dubium esse potest. Uide Beiträge pag. 48 Cf. p. 41 h. l.].

Ter. Hec. 265. *illam ad uos redire studeo*
Si facere possim ullo modo.

Item in his enuntiatis, quorum in apodosi uerbum *posse* legitur

Cist. 308. *Adhinnire equolam possum ego hanc, si detur sola soli.*

Mil. 763. *Haud centensumam Partem dixi atque, otium mihi si sit, possum expromere.*

[sic Brixius. *reis istit* CD. *resistit* BFZ. *rei si sit* cum Pylade et Acidalio Ritschelius].

Poen. 351. *Sei sapias, curam hanc facere conpendi potes.*

Poen. 864. *illum ut perdant facere possum, si uelim.*

[*possim* CDZ. editionum pleraeque].

Etiam magis illa notio particulae *si* elucet in nonnullis exemplis, quorum apodosis suppressa est.

Cas. 668. *Immo, si scias dicta quae dixit hodie.*

Merc. 298. *Immo si scias,*
Oculeis quoque etiam plus iam uideo quam prius.

Curc. 321. *Immo si scias reliquiae quae sint.*

Heaut. 599. *Pessima haec est meretrix. — Ita uidetur.*
— Immo si scias.
Uah, uide quod inceptet facinus.

Heaut. 764. *At si scias quam scite in mentem uenerit.*

Heaut. 770. *Probe — Dic sodes — Nimium, inquam.*
— Immo si scias.

[*immo sic satis* BCDEFGP].

In omnibus his exemplis uerbum *scire* inuenitur, quod semper coniunctiui modi est. Quae explicatio huiusmodi sententiarum uera sit, facile intelligitur e similibus sententiis, ubi apodosis suppressa non est:

Mil. 1429. *Magis id dicas, si scias quod ego scio.*
Trin. 538. *Magis apage dicas, si omnia ex me audiueris.*
Eun. 355. *Immo si scias quod donum huic dono contra conparet,*
Magis id dicas.
[*Immo enim si* BCDGP.]

§ 10. Uis causalis sententiae condicionali subest.

Iam § 6 huius libelli diximus, persaepe post uerba affectuum particulam *si* ita usurpari, ut quandam causalem uim in ea inesse appareret; neque ideo recte statuisse uiros doctos talibus in enuntiatis prorsus instar particulae causalis usurpatam esse illam particulam; quam semper significationem condicionalem ex parte quidem retinuisse.

Plurima enuntiata condicionalia, quibus causalis uis subiecta est, siue uerba affectuum praecedunt siue alia uerba, narratione uel uerbis alterius personae nituntur, ut sententia interpretanda sit: s i i d u e r u m e s t q u o d d i c i s. At apparet talem sententiam re uera condicionalem esse, licet de rebus, quas spectatores sciant factas esse, agat. Et saepissime protasis spectat ad ipsa uerba alterius, quae nuperrime dicta sunt: inprimis uerba uoluntatis, iubendi, declarandi, sentiendi in protasi leguntur:

Amph. 857. *Abin hinc a me, dignus domino seruos? — Abeo, si iubes.*

Asin. 460. *Non magni pendo: ne duit. si non uolt. sic sine adstet.*

Bach. 90. *Ille quidem hanc abducet: nullus tu adfueris. si non lubet.*

Bach. 99. *Sine. — Sino equidem, si lubet.*

Epid. 584. *Haec negat se tuam esse matrem. — Ne fuat, Si non uolt.*

Most. 772. *Ad tamen inspicere uolt. — Inspiciat, si lubet.*

Men. 1028. *Sic sine igitur, si negas tuom me esse, abire liberum.*

Multa huiusmodi exempla afferri possunt; tamen cum plurima talia sint. ut de causali ui. quae in eorum protasi insit, sentire possit quod quisque uelit, operae pretium non est omnia afferre, praesertim cum minimi momenti sit. quem ad modum ea interpretemur.

Prae ceteris adnotanda sunt ea exempla, quibus aliquis uerba alterius quasi uera sint, sumit, ut aut eum facere iubeat id quod, si uera sit sumptio, ei faciendum esse appareat, aut hortetur, ut interroganti respondens eam rem explicet, quae quo modo se habeat, si sumptio uera sit, omnino non intelligere possit is qui loquitur. Illic — ubi dicitur ei quid faciendum esse — non tam de ueritate protasis dubitatur, sed contenditur — interdum ironice — eum hoc aut illud facere oportere (a), hic ubi alterum hortatur. ut respondeat quo modo aliqua res se habeat, si protasis uera sit, ex illius de hac re inscientia concludere uult is qui loquitur protasin ueram non esse (b).

a) Cas. 284. *Quin, si ita arbitrare, emittis me manu?*

Most. 636. *Quid eost argento factum? — Saluomst. —*
Soluite uosmet igitur, si saluomst.

Curc. 518. *Si huius miseret,*
Ecquid das qui bene sit?

Merc. 894. *Non longe hinc abest a nobis. — Quin commonstras. si uides?*

[*quin commonstras si uides* Guyeto duce Bothius. *quin ergo commonstras si tu uides* FZ. *quin ergo comostras set ut uides* D (et item fere C). *Cum ergo comostrasset ut uides* B.]

b) Amph. 427. *Si tu Sosia's, legiones quom pugnabant maxime,*
Quid in tabernaclo fecisti? uictus sum, si dixeris.

Amph. 438. *Quis ego sum saltem, si non sum Sosia? te interrogo.*

Merc. 606. *Sei neque hic neque Acherunti sum, ubi sum?*

Trin. 978. *Quis ego sum igitur, siquidem is non sum, qui sum?*

Haec exempla praesentis temporis sunt; sed inueniuntur nonnulla praeteriti temporis, ubi re uera a coniunctiuo irreali minimo discrimine secernatur indicatiuus.

Unus uersus plane irrealis uidetur esse Men. 195 *Nam si amabas, iam oportebat nasum abreptum mordicus.*

Indicatiuus imperfecti *amabas,* quo modo a coniunctiuo irreali disiungatur, non uideo; sed apparet, eum eiusdem generis esse eodemque modo explicandum quo illa praesentis temporis exempla, de quibus nuper diximus, uelut Cas. 284 *Quin si ita arbitrare, emittis me*

manu, ut uerba *si amabas* tamquam excipiant uerba meretricis (u. 192), quae ut refutentur pro ueris ponuntur.

Cetera exempla, ubi tamen irrealis uis non tam aperta est, haec sunt:

Poen. 525. *sed si properabas magis,*
Pridie nos te aduocatos huc duxisse oportuit.

Pseud. 286. *Quid si non habui? — Si amabas, inuenires mutuom.*
[*si amabas* A, Gruterus. *Iam abas* A. *iam abes* D. *iam habes* CFZ].

Pseud. 798. *Si me arbitrabare isto pacto ut praedicas,*
Cur conducebas? — Inopia; alius non erat.
Sed cur sedebas in foro, si eras coquos,
Tu solus praeter alios?

Rud. 379. *Quid faceret? — Si amabat, rogas quid faceret; adseruaret*
Dies noctisque: in custodia esset semper.
[*asseruaret* Camerarius. *at seruaret* B. *aut seruaret* CDFZ].

Truc. 748. *Si uolebas participari, auferres dimidium domum.*

Talia exempla praeteriti temporis, quibus indicatiuus irrealem uim habere uidetur, apud posteriores quoque scriptores interdum inueniuntur; Uide Wesenberg, emendatiunculae Livianae (Tidskrift for Philologie og Pädagogik, X, pag. 230), qui ad Liuii lib. XL, 12, 9 scripsit: ... «ita saepius indicatiuus ubi coniunctiuum exspectare possis, ponitur in argumentis aduersariorum quasi nude ponendis et simul diluendis.» Confer exempla ibi allata.

Apparet semper in iis enuntiatis, ubi causalis uis ualeat, indicatiuum usurpari, nam ad talem significationem tum accedit protasis, si potius rem factam (Thatsache!) quam condicionem continet. Quare rectius fortasse est dicere, si coniunctiuus in protasi legatur, hac ipsa re consequi, ut causalis uis in protasi non insit.

Id quoque patet promptumque est, semper in huiusmodi enuntiatis condicionalibus de eo, quod negetur, si non usurpari. Nam ex ipsa ui usuque particulae *nisi* facile intelligitur, haudquaquam causalem significationem in ea inesse posse.

Interdum quaedam particulae in apodosi usurpantur, quibus uis causalis protasis quasi confirmetur:

igitur: Trin. 978, Epid. 116, Most. 637, Men. 199, Men. 534, 1028.

eo: Poen. 1194,

ergo: Merc. 894 (*quin ergo commonstras si uides,* cod. FZ. *set ut uides* ceteri. Goetz *ergo* omisit, Guyeto et Bothio ducibus).

Re ipsa intelligitur, posse in apodosi tale uerbum inueniri, neque ideo causalem esse protasin. Uelut Amph. 209

sin aliter sient animati neque dent quae petat,
Sese igitur summa ui uirisque eorum oppidum oppugnassere.

ubi *igitur* esse uertendum apparet *då, i så fall.*

§ 11. Uis concessiua sententiae condicionali subest.

De his sententiis cum iam Kriege [1]) accurate disputauerit, non opus esse credo res ab eo tractatas denuo temptare. Neque quae temporum modorumque ratio in iis ualeat, necesse est scribere, cum facile intelligatur easdem regulas de iis ualere atque de ceteris condicionalibus sententiis. De iis enuntiatis, ubi in primaria indicatiuus, in secundaria coniunctiuus inuenitur, postea disseram.

Hic tantummodo addam, quae particulae, ut uim concessiuam augeant, in apodosi ponantur, cum de hac sola re Kriege minus diligenter egisse uideatur. Sunt hae:

tamen: Capt. 225, Cas. 795, Cist. 67, 152, Curc. 6, Mil. 188, 306, Poen. 51, Stich. 27, (695), Truc. 564; Ad. 950.

tam: Stich. 44. (A: *tamen* ceteri).

ita cum uerbo negationis (*uix* et *non* = ne ita quidem): Amph. 451, Curc. 451, Epid. 611.

ne—quidem: Eun 639.

saltem: Merc. 636, Amph. 819, Truc. 855; Eun. 640.

at: Men. 746; Eun. 75, 866.

certe: Ad. 734

(non, nihilo) *ea causa magis:* Men. 1060; Heaut. 1036.

---

[1]) H. Kriege, De enuntiatis concessiuis apud Plautum et Terentium. Halis Saxonum 1884.

§ 12. **De coniunctiuo potentiali et irreali.**

De coniunctiuo potentiali et irreali simul disserere melius erit, cum prisci Romani hunc et illum coniunctiuum certo discrimine non disiunxerint; quin inter omnes nunc constare uidetur ipsius Plauti temporibus illam uicissitudinem temporum inchoauisse, quam confectam apud classicos scriptores uidemus. De qua recte Schmalz [1]: «Ursprünglich hatte die Conjunctive der einzelnen Zeiten die ihren Indicativen entsprechende temporale Geltung. Daher bezog sich *si haberem, darem* nur auf die Vergangenheit als Potentialis der unvollendeten Handlung im Präteritum und *si dem, habeam* wurde auch für den Irrealis der Gegenwart gebraucht. Dies können wir noch bei Plautus constatieren».

Certo iudicare, quo loco irrealis, quo potentialis uis ualeat, haud sane facile erit. Si Rotheimero confidimus, qui sententias condicionales coniunctiui modi hac uia disponere conatus est [2], haec est ratio exemplorum:

(*a* = apodosis; *p* = protasis)	irreal.	potent.	summa
praes. coni. *a p*.	93	37	130
praes. coni. *a*, perf. coni. *p*.	8	18	26
perf. coni. *a*, praes. coni. *p*.	2	7	9
praes. ind. *a*, praes. coni. *p*.	30	31	61
Summa	133	93	226

[1]) Lateinische Syntax pag. 523.
[2]) l. l. pag. 36—39.

Apparet igitur promiscue inueniri irreali et potentiali ui praeditum coniunctiuum praesentis et perfecti ita, ut paulo praeualere uideatur irrealis usus praesentis coniunctiui, potentialis usus perfecti coniunctiui.

Apud Terentium septem ex tot exemplis inueni praesentis temporis coniunctiui modi, quae irreali ui praedita sunt; ex quibus unum decurtatum est

Phorm. 170. *Beatus, ni unum desit, animus qui modeste istaec ferat.*

Cetera exempla in Andria, fabula Terentii antiquissima, inueniuntur:

Andr. 276. *Haud uerear, si in te solo sit situm.*
[*uere*$^{o}_{a}$*r* D. *uereor* B]

Andr. 310. *Tu si hic sis, aliter sentias.*

Andr. 550. *Immo ita uolo itaque postulo ut fiat, Chremes:*
Neque postulem abs te, ni ipsa res moneat.
[*nisi* DEG]

Andr. 652. *Haud istuc dicas, si cognoris uel me uel amorem meum.*
[*cognoueris* D]

Andr. 826. *Neque modum benignitatis neque quid me ores, cogitas:*
Nam si cogites, remittas iam me onerare iniuriis.
[u. 827 *cogites* ex *cogitas* G. *remittes* B(C)]

Andr. 914. *Si, Simo, hunc noris satis.*
Non ita arbitrere: bonus est hic uir —
Hic uir sit bonus?
[*arbitrare* BC]

De imperfecti et plusquamperfecti usu irreali exquisitius disputauit Blase (De modorum temporumque cet. pag. 4 sequ.). Pag. 11 id quod inuestigando assecutus est, ita summatim exponit: «itaque cum de 74 enuntiatis in 25 inesse imperfectum significatione temporis praeteriti praeditum statuerimus, in centum eiusmodi exemplis, si modo legerentur apud Plautum, fere tricies semel nos lecturos esse coniunctiuum imperfecti ad praeteritum tempus spectantem». Hoc de Plauto! De Terentii sermone alibi [1]): «Verfolgen wir nun die Verwendung des präteritalen coni. impf. in hypothetischen Sätzen weiter, so steht Terenz in dieser Beziehung zwischen Plautus und Cicero, wie folgende Uebersicht zeigt». (Plautus 31 %, Terentius 21 %, Cicero 11 %).

Quam perperam Blase hac ratiocinatione egerit, omnibus in promptu est; nam quibus rebus moti Plautus Terentius Cicero haec aut illa tempora ponerent, nihil curauit. Tum pro nihilo habuit, utrum in protasi an in apodosi adhiberentur.

Mea quidem sententia pro certo statuendum est, a tempore apodosis semper pendere protasis tempus. *Si protasis eiusdem temporis est atque apodosis, imperfectum usurpatur, si antecedentis temporis est, plusquamperfectum*, i. e. in huiusmodi enuntiatis condicionalibus consecutionis temporum leges ualent. Quae regula omnibus plautinis exemplis, quorum in protasi legitur imperfectum, confirmatur. Ita ex. c. Pseud. 1014

[1]) Geschichte des Irrealis, pag. 5.

Te si arbitrarem dignum, misissem tibi.

Blase existimauit (quod ex pag. 9 eius diss. apparet: «itaque cum... uidentur») *arbitrarem* praesentis temporis significationem habere. Neque tamen ita res se habet. *Arbitrarem* eiusdem uidelicet temporis est atque *misissem:* nam eam ipsam ob rem, quia *tum* eum dignum non arbitrabatur, non misit.

Idem de omnibus huiusmodi exemplis ualet.

Asin. 678. *Numquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares.*

Aul. 439. *Ibi ubi tibi erat negotium, ad focum si adesses,*
Non fissile auferres caput.

[*si* ex *s* B. *auferres* Goetz. *haberes* libri].

Aul. 742. *Deos credo uoluisse: nam ni uellent, non fieret, scio.*

Bach. 486. *si opperiri uellem paulisper modo,*
Ut opinor illius inspectandi mi esset maior copia,
Plus uidissem quam deceret.

[initium uersus 487 corruptum est. *uidissem* u. 488 cod. *uiderem* Guyetus].

Bach. 916. *Nam ni illic hodie forte fortuna hic foret,*
Miles Mnesilochum cum uxore opprimeret sua,
Atque obtruncaret moechum manufestarium.

Poen. 691. *Quia, a muscis si mi hospitium quaererem,*
Adueniens irem in carcerem recta uia.

Cas. 556. *Si quid eius esset, esset mecum postulatio.*

Epid. 116. *Si hercle haberem, pollicerer.*

[*pollicerer* add. Muellerus Plaut. Pros. p. 257 adn. *non negarem* Camerarius].

[redacted]

Asin. 396. *Argenti uiginti minas, si adesset, accepisset.*

Men. 238. *sei acum, credo, quaereres,*
Acum inuenisses, sei appareret, iam diu.
[*sei* A. *si* reliqui]

Men. 241. *Nam inuenissemus iam diu, sei uiueret.*
[*sei* A. *si* reliqui]

Men. 460. *Sei id ita esset, non ego hodie perdidissem prandium.*

Mil. 1318. *Nam matri oculi si ualerent, mecum uenissent simul.*
[*matrio culis ualerent* B]

Stich. 742. *nam ita me Uenus amoena amet,*
Ut ego huc iam dudum simitu exissem uobiscum foras,
Nisi me uobis exornarem.

Rud. 590. *si inuitare nos paulisper pergeret.*
Ibidem obdormissemus.
[*obdormiuissemus* F]

In his omnibus exemplis imperfectum secundariae enuntiationis, siue ad praesens, siue ad praeteritum tempus spectat apodosis, siue in ea imperfectum siue plusquamperfectum legitur, semper eiusdem temporis est atque primaria. Eodem modo in omnibus exemplis — fortasse uno aut altero excepto, (uide infra) — quorum in protasi legitur plusquamperfectum tempus, hoc semper id significat, quod tempore antecedit. Exempla, quae hanc regulam illustrant, permulta sunt:

Asin. 502. *Atque etiam tu quoque ipse si esses percontatus*
Me ex aliis, scio pol crederes nunc quod fers.

Aul. 828. *Quid faceres, si repperissem?*

Bach. 433. *si hercle unam peccauisses syllabam,*
Fieret corium tam maculosum, quamst nutricis pallium.

Bach. 1208. *Hi senes nisi fuissent nihili iam inde ab adulescentia,*
Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus.
Neque adeo haec faceremus, ni ante hoc uidissemus fieri.

Bach. 217. *Ni nanctus Uenerem essem, hanc Iunonem dicerem.*

Capt. 871. *Igitur olim si aduenissem, magis tu tum istuc diceres.*

Cist. 625. *Nam ni intellexes, numquam credo amitteres.*
[*intellexisses* EFZ, corr. Camerarius]

Epid. 427. *Ego si adlegassem aliquem hominem ad hoc negotium . . .*
Os sublitum esset itaque me albis dentibus
Meus derideret filius meritissumo.

Most. 799. *si male emptae*
Forent. nobis istas redhibere haud liceret.
[*liceret* B. *placeret* CDFZ]

Mil. 28. *Pol si quidem*
Conisus esses, per corium, per uiscera,
Perque os elephanti transmineret brachium.
[*transmineret* A. *transmitteret* CDFZ(B)]

Mil. 733. *Si hoc parauissent, et homines essent minus multi mali.*
Et minus audacter scelesta facerent facta.

Mil. 838. *Tu hercle itidem faceres, si tibi esset credita.*

Mil. 1083. *Si hic pridie natus foret quam illest, hic haberet regnum in caelo.*

Mil. 1308. *Nam si abstinuissem amorem, tamquam hoc uterer.*

[*uterer* FZ. *utere* BCD]

Mil. 1320. *Si non mecum aetatem egisset, hodie stulta uiueret.*

[*uiuere* B]

Men. 647. *Nam profecto tibi surrupta si esset, salua nunc foret.*

Merc. 993. *Si hercle sciuissem siue adeo ioculo dixisset mihi,*
Se illam amare, numquam facerem, ut . . .

Pseud. 1324. *Neque te mei tergi misereret, hoc sei non hodie effecissem.*

[*sei hoc* BCD. *hoc si* A]

Poen. 529. *At si ad prandium me in aedem uos dixissem ducere.*
Uinceretis ceruom cursu uel gralatorem gradu.

Rud. 1259. *Nam illic seruos si cum iniquo congressus foret,*
Et ipsum sese et illum furti adstringeret.

Trin. 568. *Si ante uoluisses, esses: nunc sero cupis.*

Trin. 632. *Quid faceres, si quis docuisset te ut sic odio esses mihi?*

Aul. 669. *Ni subuenisset coruos, periissem miser.*

Poen. 262. *Si tacuisses, iam istuc 'taceo' non gnatum foret.*

Trin. 173. *Fecisset edepol, ni haec praesensisset canes.*

Trin. 927. *Si adpellasses, respondisset nomini.*

cf. Merc. 694. *Decem si ad se uocasset summatis uiros,*
Nimium obsonauit.

Truc. 140. *Si rem seruassem, fuit ubi negotiosus essem.*
[*seruauissem* A.]

Tria tantummodo exempla sunt, quae haud scio an necesse sit classicorum scriptorum consuetudine moreque explicare, ut plusquamperfectum, quod in protasi legitur, absolute dictum sit.

Most. 243. *Edepol si summo Ioui probo argento sacruficassem*
Pro illius capite quod dedi, numquam aeque id bene locassem.

Rud. 899 [1]). *Pol magis sapisset, si dormiuisset domi.*

Curc. 700. *Nam si is ualuisset, iam pridem quoquo posset mitteret.*
[*uoluisset* EJFZ, *ualuisset* Hermolaus].

Cum igitur protasi certa norma ualuisse ubique fere uideatur neque nisi in his tribus exemplis transitus ad usum posteriorum perspici possit, de apodosis tempore quo modo res se habeat, difficilior est quaestio, praesertim cum haudquaquam facilis et expedita distinctio sit, utrum ad praesens an ad praeteritum tempus spectet imperfectum. Quare tutissimum sane est idem statuere, quod iam cum alii tum Schmalz statuit, de praeterito tempore imperfectum et plusquamperfectum promiscue usurpari [2]). Hanc autem tabulam

[1]) Nam *dormiuisset* e uerbo quod est *dormisco* deducere, licet per formam fieri possit (cf. condormisco, edormisco), propter sensum saltem haud probabile est.

[2]) Neque apud posteriores quidem scriptores desunt exempla, quae dilucide demonstrant, eorum quoque aetate in uulgari

proferam, qua uideas, quae ratio huius et illius usus apud Plautum fere ualeat:

	certe praeteritum.	quod credibile uidetur praeteritum esse.	certe praesens.	quod credibile uidetur praes. esse.	utrum ad praes. an ad praeteritum spectetur, prorsus non diiudicari potest.
a p imperf.	8	1	10	5	6
a impf., *p* plusqmpf.	6	4	5	6	3
Summa	14	5	15	11	9

Quem ad modum uel quibus de causis haec permutatio temporum facta sit, haud facile est perspicere. Nescio an recte Blase (Geschichte des Irrealis pag. 12—17) imperfecti usum pro irreali praesenti ita explicauerit, ut perspicuitatis causa, cum praesens ad futurum quoque tempus referri posset, imperfectum de

---

sermone magna cum licentia tempora et plusquamperfecti et imperfecti promiscue usurpata fuisse. Ut apud Prop. (I, 17, 19 sq.):

Illic siqua meum sepelissent fata dolorem,
Ultimus et posito staret amore lapis,
Illa meo caros donasset *funere crines,*
Molliter et tenera poneret *ossa rosa:*
Illa meum extremo clamasset *puluere nomen,*
Ut mihi non ullo pondere terra foret.

Apparet tempora mutata posuisse Propertium et metri causa et quo oratio uarietate distingueretur: et ut ab expolita prosa oratione huiusmodi exempla desunt, ita hic in liberiore sermone adhibita ostendunt, in communi uulgarique genere dicendi nondum satis distincta esse illa tempora.

praesenti tempore poneretur. tum plusquamperfectum per analogiam de irreali praeterito usurpatum esse.

Id solum addo, uix necesse esse ad hanc analogiae rationem refugere, cum per se explicari possit usus plusquamperfecti de irreali praeterito. Cum enim principio tempora coniunctiui et indicatiui eandem uim haberent, praesens praesentis temporis, imperfectum praeteriti, plusquamperfectum id significabat, quod tempore praeterito erat antecedens. Haec autem plusquamperfecti germana principalisque uis subinde quasi inficiebatur, ut uim acciperet quandam irrealem. Quod iam indicatiuo factum esse uidemus. Nam hoc interdum significabatur aliquid, quod alia re alioque facto tamquam praecisum esset.

Cuius rei praeclarum exemplum inuenimus Mil. 52:

Quid in Cappadocia, ubi tu quingentos simul,
Ni hebes machaera foret, uno ictu occideras.

[*occideras* A. *occideris* B^1CD. *occideres* B^2FZ]

Credo igitur non necesse esse per analogiam uel perspicuitatis tantummodo ratione hunc plusquamperfecti coniunctiui usum irrealem explicare, cum iam indicatiuus eodem fere modo usurpatus esse uideatur.

Hactenus de Plauto.

Priusquam autem ad Terentii usum transgredior, tabulam proferam exemplorum apud hunc et illum, qua iam suspicari possis, illum recentiorem usum temporum apud Terentium longius processisse quam apud Plautum.

	impf. *a*	impf. *p*	plusq. *a*	plusq. *p*	
imperf. *a p*	30	30			Plautus 74 exempla
impf. *a*, plusqmpf. *p*	24			24	
plusqmpf. *a*, impf. *p*		12	12		
plusqmpf. *a p*			8	8	
Summa	54	42	20	32	

	impf. *a*	impf. *p*	plusq. *a*	plusq. *p*	
imperf. *a p*	27	27			Terentius 49 exempla
impf. *a*, plusqmpf. *p*	4			4	
plusqmpf. *a*, impf. *p*		9	9		
plusqmpf. *a p*			9	9	
Summa	31	36	18	13	

Ex his tabulis facile cernitur, in quibus exemplis imperfectum aut plusquamperfectum coniunctiui legantur, ea multo saepius pro fabularum numero inueniri apud Terentium quam apud Plautum.

Blase (uide supra pag. 91) contendit medium inter Ciceronis et Plauti sermonis usum hac in re esse Terentium; quod subductione numerisque demonstrare conatus est. Haec autem quae uocatur statistica ratio tum est commendanda, si uerae leges normaeque desunt. Est enim deterior ratio, qua singula exempla numeremus quam qua naturam causasque perscrutemur: illa casibus fortuitis saepe peruertitur, haec semper sibi constat, illa id quod probabile, haec id quod uerum esse uidetur inuestigat. Tum si ratiocinatione id quod probabile est indagare uolumus, maxima sal-

tem cura est adhibenda, ne falsa explicatione rerum ueritatem infuscemus. Quibus in rebus errauit Blase. Nam undecim exempla attulit imperfecti coniunctiui, quibus praeteriti uim inesse uoluit. Ex quibus septem ad praesens, non ad praeteritum tempus esse referenda certum mihi uidetur. Quae restant quattuor, ad Ciceronis consuetudinem imperfectum seruant.

1) De tempore praesenti, non de praeterito haec exempla ualent:

Heaut. 202. *Nam quem ferret, si parentem non ferret suom.*

Est sententia generaliter dicta, prorsus eodem modo quo Hec. 554

Nam si is posset ab ea sese derepente auellere,
Quacum tot consuesset annos, non eum hominem ducerem,
Nec uirum satis firmum gnatae,

quod ad praesens tempus spectare ne Blase quidem negauit.

Hec. 655. *Pater, si ex me illa liberos uellet sibi,*
Aut se esse mecum nuptam, satis certo scio,
Non me clam haberet quod celasse intellego.

Andr. 258. *Quod si ego rescissem id prius, quid facerem, si quis nunc me roget:*
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem.

Phorm. 119. *Non, si redisset, ei pater ueniam daret?*

Phorm. 369. *Nam ni eum esse existimassem, numquam tam grauis*
Ob hanc inimicitias caperem in uestram familiam . . .

Hec. 222. *Quod si scissem, illa hic maneret potius, tu hinc isses foras.*

Ad. 178. *Si attigisses, ferres infortunium.*

2) De praeterito tempore haec exempla ualent:

Hec. 128. *Ibi demum ita aegre tulit, ut ipsam Bachidem,*
Si adesset, credo ibi eius commiseresceret.

Heaut. 916. *Quod res dedere, ubi possem persentiscere,*
Ni essem lapis!

Phorm. 105. *Nil aderat adiumenti ad pulchritudinem:*
— — — — — — — — —
— — *ut ni uis boni*
In ipsa inesset forma, haec formam extinguerent.

In his tribus exemplis apodosis consecutiua est pendetque ab alia primaria, quae praeteriti temporis est; quare propter leges consecutionis temporum imperfectum, non plusquamperfectum ponitur. [1])

Ad. 106. *nam si esset unde id fieret,*
Faceremus.

Ne hoc quidem contra Ciceronis morem est. Nam *faceremus* iteratiuum esse apparet, quo efficitur, ut imperfectum poni et possit et debeat apud classicos quoque scriptores (cf. Zander, lat. Språklära § 167, 2: «imperfekt användes, om satsen såsom indikativ skulle stå i detta tempus» cf. etiam § 195 III Anm.)

[1]) Hanc rem non satis perspexisse uidetur Blase, qui (Geschichte des Irrealis pag. 2) ita scribat: «Der präteritale coni. impf. findet sich häufig in der Abhängigkeit von consecutivischen *ut* oder dem Relativsatz consecutivischer Art, regelmässig in der Apodosis, der sich die Protasis gewöhnlich anschlisst». Sed primam causam omittit: praeteriti temporis esse primariam.

Denique aliqua exempla afferam, de quibus ualde haesitauerunt uiri docti; quae talia sunt, ut protasis praesentis aut perfecti temporis sit, apodosis imperfecti aut plusquamperfecti, aut contra. Quae ut emendarent cum diu sudauissent, exstiterunt, qui illud loquendi genus defendere conarentur (Madvig, Neue, Rotheimer). Et sane concedendum est, cum apud priscos de irreali modo nunc praesens nunc imperfectum usurparetur, facile euenire potuisse, ut in apodosi alterum, in protasi alterum tempus poneretur. Cum porro apud posteriores quoque (Lucretium, Uergilium, Tibullum, Ouidium) singula huiusmodi exempla inueniamus, uix dubitare licet, quin illa plautina uera sint.

Aul. 523. *Conpellarem ego illum, ni metuam ne desinat.*

Stich. 510. *Uocem ego te ad me ad cenam, frater tuos ni dixisset mihi,*
Te apud se cenaturum esse hodie.
[*ni* Ritschelius duce A. *nisi* BCDFZ]

Poen. 1251. *primum si id fieri possit,*
Ne indigna indignis dei darent, id ego euenisset uellem.
[*possit* (uel *et*) A: utrum hoc an illud genuinum sit, discerni uix potest]

Truc. 830. *Nam uinum si fabulari possit, se defenderet.*
[*possit* libri, *posset* plerique]

Capt. 711. *Nam cogitato, si quis hoc gnato tuo*
Tuos seruos faxit, qualem haberes gratiam?

Huc non referendum est Mil. 1356, ubi legendum esse censeo:

Et si ita tibi sententia esset, tibi seruire malui

Multo quam alii libertus esse.

[*malui* B. *maui* CD. *mauelim* FZ]

Plerique editores scripserunt *mauelim* (u. Langen, Beiträge p. 46). Recte autem legi *malui* credo. Cf. haec exempla:

Cas. 440. *Uolui Chalinum, si domi esset, mittere.*
Stich. 563. *Senex quidem uoluit, si posset, indipisci de cibo.*

[*poscet* CFZ]

Quam ob rem *malui* «insanum» (Langen) sit, non intelligo.

§ 13. De sententiis condicionalibus decurtatis.

Cum quauis aetate sententias condicionales, quae decurtatae sunt, inueniamus, fortasse nusquam saepius occurrunt quam apud antiquos fabularum scriptores. Quod ut ita esset quae causae effecerint, facile intelligitur. Neque enim apud antiquos, cum certis legibus nondum subiecta esset iunctura sententiarum, mirandum erat, si interdum cogitatione audiebatur id, quod ut enuntiaretur, ratio posteriorum postulabat. Nam cum a principio nulla iunctura singulae enuntiationes copulatae essent, deinde autem pro tali parataxi sententiae aliae aliis subiungi coeptae essent, mediis quibusdam temporibus, cum hypotaxis usurparetur, facile ordo sententiarum quasi turbabatur. Quod apud fabularum scriptores eam ob rem multo magis fiebat, quod sermonem infimae plebis saepe imitabantur, quae

seriem tenoremque cogitationum non tam accurate ob seruaret. Quin apud scenicos scriptores, ut quorum sermonem quam celerrime fluere et responsa incitatissime reddi saepe intersit, apparet interdum membra sententiarum, quae animo audiri possint, optime omitti.

Eas sententias condicionales, quae decurtatae sunt, in duo genera dispertire licet:

1) Eae sententiae, quae et protasin et apodosin plenas integrasque habere uidentur, reuera autem tali modo inter se cohaerent, ut audienda sit alia sententia, qua restituatur series cogitationum.

2) Eae sententiae, quae apodosin decurtatam aut prorsus omissam habent.

1) De iis enuntiatis, quorum apodosis et protasis ita coniunctae sunt, ut aliquid audiendum sit animo, iam supra maximam partem mentionem fecimus. Nam et multas earum, quibus finalis uis subesset, et eas, quae sponsionem continerent, tali modo explicandas esse, suis locis ostendere conatus sum. Eas quoque sententias, ubi *si* = *si modo* est, eadem ratione explanandas esse ex eo, quod supra (§ 9) disputaui, apparet.

Sunt etiam enuntiationes, ubi uim a *si* particulae notione omnino alienam facile credas in ea inesse, nisi obserues talem sententiam per breuiloquentiam suppressam esse. Uelut paene consecutiua significatione particula *si* praedita esse uidetur Mil. 559:

Ratun istic me hominem esse omnium minumi pretei.
Si ego me sciente paterer uicino meo
Eam fieri apud me tam insignite iniuriam?

ubi post uersum 559 *(Ratun istic...)* auditur hoc fere:

qualis ego essem homo («tror du att jag är den sämsta bland menniskor, hvilket jag skulle vara om jag tålde..» = tror du att jag är den sämsta bland menniskor, *så att* jag skulle tåla).

Eodem modo explicationem saepe habent eae enuntiationes, quorum in apodosi indicatiuus, in protasi coniunctiuus legitur. Nam cum usus ille, quo alius modus in primaria, alius in secundaria poneretur, apud posteriores scriptores certis fere et definitis normis astrictus esset, apud priscos credo saepius talis permutatio fieri potuit, ut a potentiali modo transgrederetur oratio ad obiectiuum, qui uocatur — illis quoque locis, ubi ad normam classicorum scriptorum non esset haec mutatio modorum. Quod saepe quadam breuiloquentia explanandum est, inprimis illis in exemplis, quae supra attuli, ubi *si* notionem particulae *si modo* habet.

Tum in aliis quoque uersibus, ut

Amph. 336. *Non edepol nunc ubi terrarum sim scio,*
siquis roget.

Stich. 171. *Nunc si ridiculum quaerat hominem quispiam,*
Uenalis ego sum cum ornamentis omnibus.

(Conf. Langen Beiträge pag. 45 ad Amph. 336: «Er weiss es ebensowenig, auch wenn ihn Niemand fragt, aber er würde keine Auskunft geben können, wenn etc.» *queret* BCDFZ).

Deinde conferenda sunt ea exempla, quae concessiua sunt, et ea, quorum in apodosi leguntur *paene, prope,* uerba *posse, debere* cet. De his sententiis uide infra § 14.

2) Multis locis apodosin omissam aut decurtatam inuenimus. Et apparet talibus in exemplis eundem fere fuisse usum temporum et modorum, quasi sententia plena et integra esset. Neque opus est de iis exemplis disserere, quibus quid audiendum sit, per se intelligitur. Ut saepe apud uerba uoluntatis, uelut Asin. 639 *Si quid uis,* scil *loquere* uel *ecce me.*

In quibusdam autem formulis certa norma uidetur dominari. Ita in iis sententiis, de quibus supra (pag. 65) diximus, ubi *si* eandem habet uim atque *si-modo* et coniunctiuus uerbi, quod est *scio,* usurpatur, ad hoc exemplum: *Immo si scias dicta quae dixit hodie.*

Alia enuntiata apud Plautum et Terentium passim inuenimus, quae ex *quid si* initium sumunt. De quorum explicatione uiri docti disputant. Brix ad Capt. 599 «*quid si* mit Conj. praesens oder perf. führt den Eintritt einer Thatsache in der Form der bedingten Möglichkeit ein, daher oft bei unmassgeblichen Vorschlägen, «was meinst du, wenn ich thäte —, wie wäre es wenn —?» . . . Auch mit dem Indikativ: «was meinst du, wenn ich thue» . . . .» Contra Brugmann (Über den Gebrauch des cond. *ni* pag. 27): «Auch hier hat man mit der Annahme einer Ellipse operiert (Brix zu Capt. 599), indem man nach *quid* ein 'meinst du' oder 'wie wäre es' ergänzt. Viele Stellen jedoch sprechen für eine andere Auffassung. Es wird nämlich die hypothetische Periode oft unter zwei Personen so verteilt, dass die fragende die Protasis, die gefragte die Apodosis spricht . . . In allen diesen Stellen erwartet der

Fragende dass durch die Antwort der Satz zu Ende geführt wird...»

Hoc an illud accipiamus, nil ad rem. Nam idem fere est, siue is, qui loquitur, apodosin iam in uerbo *quid* inesse uult, siue exspectat, eum, quem compellat, finem sententiae inchoatae impositurum esse. Tamen sententia uulgata (et Brixii) idcirco mihi arridet, quod credo *quid si* usu quasi in unum coartum esse. — Certe his sententiis sua modorum lex est. Cum enim et coniunctiuus et indicatiuus in his sententiis legantur, certo discrimine hic et ille modus disiunguntur, neque recte Brix rem ita exposuit, quasi promiscue adhiberentur. Nam quod ex exemplis infra allatis uidere licet, indicatiuus usurpatur, cum quis quaerit, quid futurum sit, si id quod in protasi contineatur euenerit, coniunctiuus autem, cum quis se ipse aut se suosque quasi hortatur, ut aliquid fiat.

1) Indicatiuus.

Futurum legitur his locis:

Amph. 392. *Quid, si falles? — Tum Mercurius Sosiae iratus siet.*

Asin. 720. *Opta id quod ut contingat tibi uis. — Quid, si optaro? — Eueniet.*

[*optabo* Luebbert (Gram. Stud. I, p. 78) mauult].

Cas. 345. *Quid, si sors aliter, quam uoles, euenerit?*

Most. 582. *Quid, si hic manebo potius ad meridiem? — Immo abi domum. — Uerum hercle dic. — Oh abi domum.*

Mil. 1417. *Quid, si id non faxis?*

Merc. 905. *Opta ergo ob istunc nuntium quidius tibi. — Quid, si optabo? — Deos orabo, ut eius faciant copiam.*

[*orabo* Aldina, Acidalius. *orato* libri, nisi quod *ortato* C.]

Pseud. 514. *Sed quid, si apstulero? — Do Iouem testem tibi.*
Te aetatem inpune habiturum.

Rud. 472. *Sed autem quid, si hanc hinc abstulerit quispiam*
Sacram urnam Ueneris? mi exhibeat negotium.

Rud. 721. *Quid, si attigero? — Extemplo hercle ego te follem pugilatorium*
Faciam . . .

Asin. 104. *Quid, si forte in insidias deuenero?*
Tun redimes me, si me hostes interceperint.

[Vahlen metri causa: *Quid uis? — Si forte . . .* aut *Quid? — Quid, si forte . . .*]

Heaut. 718. *Quid tum quaeso, si hoc pater rescluerit?*

Phorm. 320. *Quid, si reddet?*

Praesens legitur:

Asin. 195. *Quid, si non est? — Tibi non esse credam.*

Asin. 537. *Quid, si hic animus occupatust, mater, quid faciam? mone.*

[*set si* Fleckeisenus: non necesse!]

Aul. 776. *Quid, si fallis? Tum me faciat quod uolt magnus Iuppiter.* (cf. supra Amph. 392).

Bach. 1185. *Quid tandem, si dimidium auri redditur?*

Cas. 269. *Quid, si ego inpetro atque exoro a uilico, causa mea*
Ut eam illi permittat? — Quid, si ego autem ab armigero inpetro,

Ut eam illi permittat?

Merc. 890. *Potin ut animo sis tranquillo? — Quid, si mi animus fluctuat? —*
Ego istum in tranquillo quieto tuto sistam: ne time.

[*si mi animus* Buecheler. *sint antimus* B(C). *si animus* FZ. *fluctuant* BCD.]

Poen. 722. *Quid, si animus esse non sinit?*

Persa. 613. *quid, si, hic non uolt me una adesse?*
[*si hic* B. *hic si* CDFZ.]

Trin. 1060. *Quid, si egomet te uelle nolo?*
[*te uellet* A.]

Heaut. 719. *Quid, si redeo ad illos qui aiunt 'quid si nunc caelum ruat'.*

Phorm. 210. *Quid, si adsimulo? satin est?*
[*adsimulabo* CDFGP. *assimilabo* B]

cf. Ad. 192. *Quid? si ego tibi illam nolo uendere,*
Coges me?

[Apparet, scribi ita quoque posse: *Quid, si ego tibi illam nolo uendere? Coges me?*]

2) Coniunctiuus.

Rei natura fit, ut semper praesens coniunctiui usurpetur.

Amph. 313. *Quid, si ego illum tractim tangam, ut dormiat? — Seruaueris.*

Bach. 732. *Quid, si potius morbum, mortem scribat?*
id erit rectius.

Capt. 599. *quid, si hunc conprehendi iusserim?*

Capt. 612. *Quid, si adeam hunc insanum?*

Curc. 145. *Quid, si adeam ad foris atque occentem?*

Curc. 303. *Te ille quaerit. — Quid, si adeamus? — Heus, Curculio, te uolo.*

Curc. 351 *Quid, si adeamus, decumbamus?*

Cas. 357. *Quid, si propius attulamus signa eamusque obuiam?*

[*attulamus* Schoell. *attollamus* libri, nisi quod *attolamus* J; *eamusque* Pylades *famusque* et *fiamusque* libri.]

Cas. 806. *Quid, si etiam is occentem hymenaeum, si qui citius prodeant?*

[*Quid si etiam si offendam* A. *quid si etiam offendam* ceteri, nisi quod *ostendam* F. *occentem* Pius corr. ex 'exempl. sinceris'.]

Cist. 321. *Quid, si adeam atque appellem?*

Epid. 543. *Quid, si adeam . . . — Hauscio an congrediar . . .*

Most. 393. *Quid, si igitur abeamus hinc nos?*

[*si* Bothius. *est* libri. *habeamus* CD.]

Most. 1093. *Quid, si igitur ego accersam iam homines?*

Merc. 564. *Quid, si uisam?*

Merc. 578. *Quid, si igitur cenam faciam?*

Poen. 330. *Quid, si adeamus? — Adeas.*

Poen. 707. *Quid, si euocemus huc foras Agorastoclem?*

Poen. 728. *Quid, si recenti re aedis pultem?*

Poen. 1162. *Quid, si eamus illis obuiam?*

Persa 724. *Quid. si admoneam?*

Rud. 535. *Quid. si aliquo ad ludos me pro manduco locem?*

Truc. 6. *Quid, si de uostro quippiam exorem? — Abnuont!*

Eun. 369. *Quid, si nunc tute fortunatus fias? Qua re, Parmeno? Responde.*

Cum tot plautina exempla (= 22) ueritatem regulae supra a nobis allatae confirment, non ueri simile est, unum locum, Men. 844, ab illa regula abhorrere:

Filia heus — Quid est? quid agimus? — Quid
si ego huc seruos cito?
Ibo, adducam, qui hunc hinc tollant et domi deuinciant.

Omnes interpretes eodem modo quo Brix (*«cito = uoco»*) *cito* pro uerbo acceperunt: quod mihi persuasum est aduerbium esse (= *celeriter*). Nam quid offendat uerbum omissum? quasi non saepe talibus in enuntiatis, quae e commoto animo prodeunt, omittatur? Cum u. 844 consilium suum etiam dubitans *(quid si!)* proferat, se ipse, priusquam totam sententiam ad finem perduxit — ut celerrima est res — tamquam corrigit reuocatque, nunc iam non dubitans de consilio suo. Sic igitur scribendum esse censeo:

— — — *Quid si ego huc seruos cito . . . —?*
Ibo, adducam — — —

An fortasse rectius: — *Quid si ego huc seruos . . . —? Cito*
Ibo, adducam.

§ 14. **Modi et tempora summatim exposita.**

De temporibus et modis in sententiis condicionalibus nunc breuiter disserere satis erit. Quae disputatio in tres partes secundum modorum usum dispertiri potest:

1) indicatiuus in utraque sententia est 2) coniunctiuus in utraque est 3) indicatiuus in apodosi, coniunctiuus in protasi le-

gitur. Ex his partibus secunda mihi iam absoluta est, quae in ea paragrapho, ubi de irreali et potentiali coniunctiuo disputaui, tractata sit. Neque de prima parte multa disserere opus erit, cum de hac quoque suis locis, quod maximi momenti esset, scripserim, ut ad id, quod iam disputaui, plerumque sufficiat delegare.

I. Indicatiuus in utraque sententia est.

Hoc genus continet eiusdem modi enuntiata atque apud classicos scriptores, «in quibus aut aliquid sumitur, quod uerum esse significamus, aut quod, quamquam dubium est aut certum non est, tamen omni dubitationis aut negationis indicio remoto nude profertur». (Rotheimer).

De indicatiui usu inprimis est obseruandum:

1) Indicatiuus usurpatur

a) in minis, promissis, affirmationibus, detestationibus

b) post uerba quaerendi, interrogandi, uisendi

c) cum ad causalem uim accedit protasis (cf. pag. 87).

d) semper fere post uerba affectuum (duobus exemplis Terentii exceptis).

2) Omnibus enuntiatis, quae a *si* particula ordiuntur quorumque in apodosi imperatiuus legitur, indicatiuus usurpatur. Cuius regulae cum iam supra causas reddiderim (pag. 39), hic sufficiet demonstrare, omnia exempla, quae a Rotheimero collecta repugnare uideantur, aut diuersi generis esse (a) aut falsam scripturam praebere (b) (Rotheimer pag. 50, 51, 52).

(a) Asin. 231. *Atque ea lege, si alius ad me prius attulerit, tu uale.*

Asin. 800. *Si dixerit,*
Haec multa ei esto . . .

Mil. 21. *Periuriorem hoc hominem si quis uiderit*
Aut gloriarum pleniorem quam illic est
Me sibi habeto.

Stich. 770. *Si istoc me uorsu uiceris, alio me prouocato.*

Bach. 800. *Inpinge pugnum, si muttiuerit.*

Uerbum protasis horum exemplorum, quod pro perfecto coniunctiui habuit Rotheimer, non dubium est, quin futuri exacti temporis sit. (De fut. ex. Asin. 231. 800. Bach. 800 conf. pag. 20).

(b) Reliqua exempla a Rotheimero collata non haec sola, cur suspecta sint, est causa, quod coniunctiuus in protasi legitur, sed aliae quoque rationes accedunt.

Men. prol. 51. *Si quis quid uostrum Epidamni curari sibi*
Uelit, audacter imperato et dicito.

Quod exemplum, cum totus prologus spurius sit, nullius ad rem momenti est.

Poen. 729. *Si pultem et non recludet? — Portam frangito.* qui uersus in codicibus legitur: *si pultem, non recludet?* — *Panem frangito.* Quod rectissime retinet Goetz.

Asin. 445. *Si uelis dare, commoda homini amico.*

Goetz scripsit: *Em rem sis perdere, da conmoda homini amico,* adnotans: «uersum nondum persanatum esse assentimur Muellero de Pros. Pl. p. 445» [1]).

[1]) Immo p. 642!

Merc. 308. *Decide collum stanti, si falsum loquar.*

Loquor in *A* legitur. Quod nunc editores receperunt.

Pseud. 1070. *Roga me uiginti minas,*
† Si ille hodie illa sit potitus muliere,
Siue eam tuo gnato hodie, ut promisit, dabit.

De hoc uersu uide supra pag. 47.

In sponsionis modo exemplis dubia mihi res uidetur esse, uide pag. 57.

3) De iteratiuo usu sententiarum, quae a *si* ordiuntur, nondum disseruimus. Hanc rem Schmalz summatim ita exposuit (Syntax § 299): «Die nahe Verwandtschaft von *quom* und *si* erklärt uns, dass auch ein Satz mit *si* dazu dienen kann, die wiederholte Handlung zu bezeichnen. Dass ursprünglich in solchen Sätzen der Indikativ stand, ist selbstverständlich; er findet sich erhalten bei Cato p. 35, 3 J. *si quis strenue fecerat, donabam honeste;* Cicero und Caesar verwenden zumeist den Indikativ; doch treten bei ihnen die ersten Spuren des Konj. auf . . .» Ex Schmalzii uerbis allatis concludere possis, nullo loco apud antiquos poetas iteratiuum inueniri siue coniunctiui siue indicatiui modi. Et re uera rarissimus est hic usus. Indicatiuus in protasi legitur Bach. 426 *Ante solem nisi tu exorientem in palaestram ueneras Haud mediocris gymnasi praefecto poenas penderes.*

Neque ulla dubitatio esse potest, quin iteratio indicatiuo modo apud priscos fere expressa sit, praesertim si ad usum indicatiui post particulas tempora-

les talibus in sententiis inspicimus. Sed tamen, ut apud classicos scriptores iam coniunctiuum iteratiuum paucis locis inuenimus, ita ne apud priscos quidem hunc coniunctiui usum prorsus a legitimo sermone abhorruisse statuere audeo. Nam si uersus Bach. 424—434 inspicimus, uidemus post *quom* in u. 424 (codices *quoi, quo*) indicatiuum plusquamperfecti temporis adhiberi, in u. 431 post *ubi* coniunctiuum plusqmpf., in u. 433 post *quom* coniunctiuum imperf. (sec. codices: *cum librum legeres*). Post *nisi* u. 426 indicatiuus legitur, post *si* u. 433 coniunctiuus. Neque satis intelligo, cur Goetz pro *quom librum legeres*, scripserit: *cum libro ut legeres* cum u. 431 post *ubi* coniunctiuum passus sit.

De temporum indicatiui modi usu:

Tempora indicatiui modi eandem fere uim habent usumque atque apud posteriores, nisi quod maiore licentia usi sunt prisci scriptores. Quae licentia cum de ceteris quoque temporibus ualeat, nullius temporis magis propria est quam futuri. Iam in primis paragraphis huius libelli de hac re disputaui certisque quibusdam normis usum priscorum definire conatus sum; ex quibus normis illam et praeualere et certam esse credo, qua in iis exemplis, ubi quis minis uetetur aliquid facere, futurum exactum usurpetur, in iis autem, ubi quis iubeatur aliquid facere, praesens. Neque ideo certas leges ubique secutos esse priscos poetas contendo. Ita paucis locis, ubi ex iis regulis, quas attuli, praesens tempus explicari non possit, tamen hoc tempus inuenimus. Haec exempla sunt:

Epid. 605. *Ego relictis rebus Epidicum operam quaerendo dabo.*
Si inuenio, exitiabilem ego illi faciam hunc ut fiat diem.
[*inueniam* Z.]

Mil. 266. *Si inuenio qui uidit, ad eum uineam pluteosque agam.*

Mil. 268. *Si ita non reperio, ibo odorans quasi canis uenaticus.*

Pseud. 586. *Huc meas legionis adducam: facilem ego hanc rem meis ciuibus faciam;*
Si hoc expugno, post ad oppidum hoc uectus continuo . . .

[De uariis commentis ad h. u. uide Goetz].

Trin. 156. *Nunc si ille huc saluos reuenit, reddam suom sibi.*
[*redierit* F.]

Quamquam omnibus locis leui coniectura ad usum uulgatum contextus restitui potest, coniiciendo peccare nolo, praesertim cum ratione minime careat praesens, siquidem tempus futurum, ut scenica est celeritas alacritasque, in praesens quasi reuocatur. Quod tum saepissime fit, cum etiam apodosis tempus est praesens pro futuro. Huius rei multa exempla exstant, quorum cum nonnulla ascripserit Rotheimer (pag. 14), omitto rei notissimae pluribus exemplis librum meum onerare. Sed etiamsi apodosis temporis futuri esset, praesens in protasi uno aut altero loco inueniri, exempla supra allata ostenderunt [1]).

[1]) Prorsus analoga est ratio temporum praeteritorum. Cum praesens historicum in primaria legitur, in secun-

In illis sententiis. ubi uerba uoluntatis leguntur, eodem modo atque apud classicos scriptores et futurum et praesens usurpari possunt. Et facillime intelligitur. cur saepius apud priscos praesens, apud posteriores futurum in talibus enuntiationibus reperiatur. Nam ipsa dialogi forma. quae apud priscos poetas est, et sermonis quotidiani genus ualde praesenti formae fauent. Inprimis usitatus est usus praesentis in iis enuntiatis, ubi hortationes lepidius urbaniusque afferuntur — quin etiam ad enuntiati interrogatiui uim sic interdum accedit protasis (*«nisi quid aliud uis»*, *si quidem uis* = du har väl ingenting deremot).

Curc. 82. *Eine hic cum uino sinus fertur? — nisi neuis. —*
Nolo hercle.

Curc. 672. *Quid cessas, miles, hanc huic uxorem dare? —*
Si haec uolt. — Mi frater, cupio.

Epid. 279. *Ubi erit empta, ut aliquo ex urbe eam amoueas, nisi quid tuast*
Secus sententia.

Mil. 183, Men. 788. saepe.

II. De iis sententiis. ubi in utraque sententia coniunctiuus legitur. iam supra (§ 12) disputaui.

---

daria tempora aut prima aut secunda («historica») usurpantur: prima, si in repraesentatione primariae etiam secundaria includitur, secunda, si non includitur. Sed fit interdum, ut tum quoque, cum primaria tempus praeteritum seruet, per repraesentationem in secundaria praesens inueniatur (talem representationem apud priscos inueniri temere negat Draeger, Hist. Syntax I pag. 237, 238.)

III. De iis enuntiatis, quae coniunctiuum in protasi, indicatiuum in apodosi habent [1]), iam Lilie [2]), Blase [3]), Langen [4]) scripserunt. Liliei liber, qui usum omnium latinorum scriptorum attigit, ad priscorum saltem sermonem mihi irritus inutilisque fuisse uidetur: et omnino coniunctiui usum uix satis perspexit. Langen singula exempla fere examinauit, quo factum est, ut interdum ad suum ipsius arbitrium fortasse magis quam ad plautini sermonis normam exempla exigeret et nimis pareret cupiditati corrigendi damnandique. Blase cum in diss. sua (cap. II) secundum ea genera diuersa, quorum esse crederet talia enuntiata, dispertiuisset, multas sane uariasque causas afferens, quibus coniunctiui usum explicatum uellet, nunc ipse (der Konjunktiv des Präsens im Bedingungssatze, p. 23) hoc perperam factum esse rectissime iudicauit. Nec tamen eius sententiae, de qua uide l. l., assentiri possum. Neque enim debemus difficiliorem subtilioremque reddere explicationem huius usus. Nam sermo quemadmodum ab alio tempore ad aliud transgredi apud antiquos poterat (u. § 12 p. 102), ut in protasi praesens, in apodosi imperfectum coniunctiui usurparetur, ita ab alio modo ad alium transferri poterat,

---

[1]) Nam de iis enuntiatis, quorum in protasi indicatiuus, in apodosi coniunctiuus legitur, non opus est dicere. Nam apodosis modus coniunctiuus aliis causis efficitur.

[2]) Conjunctivischer Bedingungssatz bei indicativischem Hauptsatz im Lateinischen, Berlin 1884.

[3]) De modorum temp. permut. caput II; Der Konjunktiv des Präsens im Bedingungssatze, Wölffl. Arch. IX, I, p. 17.

[4]) Beiträge p. 43—53.

ubi nulla alia causa subesset nisi ordo cogitationum mutatus. Quam modorum permutationem cum classici scriptores certis et definitis legibus fere descripserint, apud priscos tam seuerae leges minime ualent Saepissime autem breuiloquentiam uel brachylogiam effecisse, ut hoc modo ordo sententiarum ab altero modo ad alterum transiret, mihi persuasum est. Quam sententiam cum et ueteres grammatici amplexi essent et multi doctique horum temporum homines, cum alii impugnauerunt tum nuperrime Blase (Der Konj. des Präs. i. B., p. 20. 21.), sic sua uerba contra Langeni explicationem facta concludens: «. . . so wird hier nur die alte Ellipsentheorie zu neuem Leben erweckt». Ad quae animaduertere uelim: fuisse tempora, quibus ellipsis uocabulo tam abuterentur uiri docti in plurimis structuris explicandis, ut merito in absurdum deductam esse hanc uiam rationemque explicationis crederent, qui deinde exsisterent uiri. Ex quo cum iam, ut fit, nimis contemptus sit ille, qui antea dominatus erat, modus interpretandi, nunc, quidquid paululum redolet talem ellipsin, sunt qui reformident et horrescant. Sed credo in prisca contemptaque ratione plus esse ueritatis quam quod nunc concedere uolunt: non ita, ut ellipsin defendere uelim, sed ut credam, hoc ellipsis nomine, quo parum accurate subtiliterue uterentur, eos idem fere dicere uoluisse, atque nos uerbo breuiloquentiae uel brachylogiae. Huius autem brachylogiae notionem cum, ellipsis nomen pauentes, non patiantur, perperam sane agunt. Ut l. l. Blase. Neque tamen ipse ab hac explicationis uia

prorsus recedere potuit, uelut Plaut. Epid. 730 *inuitus do hanc ueniam tibi, nisi necessitate cogar,* «wo zwei Konstruktionen *inuitus do, sed cogor* und *nisi cogar, non dem* zusammengeflossen sind». Neque causam attulit sufficientem, cur in hoc exemplo liceat statuere talem confusam structuram, in aliis autem exemplis non liceat. Quin siue latinae, siue aliarum linguarum inspicimus sermonem, non possumus non sentire, facillime in sermonis quotidiani consuetudinem irrepere posse uaria genera uel brachylogiae uel anomaliae. Talia autem σχήματα cum nonnulla non nisi uno aut altero loco inueniantur, sunt quae — habilitatis credo breuitatisque causa — adeo increbrescant, ut et in quotidianum sermonem saepissime et in excultum genus dicendi irrumpant. Adolescit enim corroboraturque sermo; neque ab erudito tantummodo genere orationis proficiscens augetur, quo politior elegantiorque, sed etiam a uulgari genere dicendi, quo breuior et praesentior sit sermo. Et necesse est putidi contortique arripiantur multi explicandi modi, si hanc notionem breuiloquentiae expellere uelimus.

Sed facile intelligitur, in certis quibusdam generibus sententiarum talem breuiloquentiam saepius usu uenisse. Quod in iis, de quibus agimus, sententiis tum potissimum fit, si apodosis ueritas in ueritate protasis sita non est. Hoc autem de iis maxime ualet enuntiatis, ubi aut protasis est concessiua aut uerba *posse uelle debere* similiaue (uerba «*modalia*») in apodosi leguntur aut *si* notionem habet particulae *si modo*

1) uerba *posse debere uelle* sim. in apodosi sunt:

Curc. 246. *Potin coniecturam facere, si narrem tibi*
Hac nocte quod ego somniaui dormiens?

Trin. 414. *Non tibi illud adparere, si sumas, potest,*
Nisi tu immortale rere esse argentum tibi.

Curc. 268. *Si quidem incubare qui periurarint uelint,*
Locus non praeberi potis est in Capitolio.

[*qui periurarint uelint* Fleckeisenus: *uelint qui periurauerint* BF. *uelint qui periurauerunt* EZ.]

Asin. 153. *Unum quodque istorum uerbum nummis Philippis aureis*
Non potest auferre hinc a me, si quis emptor uenerit.

Trin. 83. *Nam nunc ego si te surripuisse suspicer*
Ioui coronam de capite ex Capitolio,
Qui in columine astat summo: si id non feceris,
Atque id tamen mihi lubeat suspicarier:
Qui tu id prohibere me potes ne suspicer?
[*feceres* B. *iubeat* C.]

Curc. 226. *Adferre argentum credo. nam si non ferat,*
Tormento non retineri potuit ferreo.
[*poterit* E^3F].

Trin. 566. *Licitumst, si uelles, nunc, quom nihil est, non licet.*

Asin. 164. *Solus si ductem, referre gratiam numquam potes.*

Curc. 449. *Quia enim in cauea si forent*
Conclusi illi itidem ut pulli gallinacei,
Ita non potuere uno anno circumirier.

Epid. 610. *Si undecim deos praeter sese secum adducat Iuppiter,*
Ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.

Poen. 864. *Me non perdent: illum ut perdant facere possum, si uelim,*
Me erus ne perdat nei mihi metuam, Milphio.
[*possim* CDZ editionum pleraeque.]

Aul. 558. *Quae mi interbibere sola, si uino scatat,*
Corinthiensem fontem Pirenam potest.
[*scatat* Gulielmius. Lambinus. *scateat* Donatus. FZ. *scatet* BDJ. *scatit* Turnebus.]

Poen. 351. *Sei sapias, curam hanc facere conpendi potes.*
[*sei* A. *si* reliqui. *potes* FZ. *potest* reliqui.]

Amph. 450. *Quadrigas si nunc inscendas Iouis*
Atque hinc fugias, ita uix poteris effugere infortunium.

Truc. 461. *Necullam rem oportet dolose adgrediri.*
Nisi astu docte adcurateque exsequare.
[secunda persona generali sensu dicta! *exsequare* Z. *exsequere* BCD.]

Bach. 447. *hocine hic pacto potest*
Inhibere imperium magister, si ipsus primus uapulet.
[Langen: *uapulat* Uide infra.]

Bach. 479. *Nullon pacto res mandata potest agi, nisi identidem*
Manus ferat ad eius papillas, labra a labris nusquam auferat?
[Langen damnat u. 479. Uide infra.]

Rud. 566. *Uel ego amare utramuis possum, si probe adpotus siem.*

Most. 458. *Quo modo pultare potui, si non tangerem?*

Cas. 440. *Uolui Chalinum, si domi esset, mittere.*

Stich. 563. *Senex quidem uoluit, si posset, indepisci de cibo.*

[*poscet* DFZ.]

Mil. 763. *Haud centensumam*
Partem dixi atque, otium mihi si sit, possum expromere.

Mil. 1356. *Et ita si sententia esset, tibi seruire malui*
Multo quam alii libertus esse.

[*malui* B. *maui* CD. *mauelim* FZ. uide supra pag. 103.]

Cist. 308. *Adhinnire equolam possum ego hanc, si detur sola soli.*

Cas. 314. *Quin si tu nolis filiusque etiam tuos,*
Uobis inuitis atque amborum ingratiis
Una libella liber possum fieri.

Most. 351. *Nec salus nobis saluti iam esse, si cupiat, potest.*

Mil. 803. *Non potuit reperire, si ipsi Soli quaerundas dares.*

[*potuit* Pylades. *potui* BCDFZ. *potis est* Mueller.]

Persa 40. *quin si egomet totus ueneam, uix recipi potis est*
Quod tu me rogas.

Pseud. 792. *Nam ego si iuratus peiorem hominem quaererem,*
cocum non potui quam hunc quem duco ducere . . .

Eiusdem generis sunt:

Stich. 512. *Et magis par fuerat me uobis dare cenam aduenientibus,*
Quam me ad illum promittere, nisi nollem ei aduorsarier.

Pseud. 285. *Fuit occasio, si uellet, iam pridem argentum ut daret.*

Truc. 140. *Si rem seruassem, fuit ubi negotiosus essem.* [«*fuit ubi negotiosus essem* i. e. negotiosus esse potui» Blase.]

Aul. 254. *Neque edepol, Megadore, facio, neque, si cupiam, copiast.*

Trin. 1186. *Nam si pro peccatis centum ducat uxoris, parumst.*

Merc. 497. *Meliust, sanus si sis.*
[Ita Ritschelius. *meliust sanus* A. *melius sanus sis* BCDFZ.]

Poen. 921. *Quae audiuistis modo, nunc si eadem hic iterum iterem, inscitiast.* [*iterem* A. om. BCDFZ.]

Capt. 906. *Nam si alia memorem, quae ad uentris uictum conducunt, morast.*

Men. 760. *Curas si autumem omnis, nimis longus sermost.*

In multis ex his supra allatis exemplis aliae quoque causae ualent: ita concessiua uis in protasi inest Most 351. Asin. 164. Persa 40. Aul. 254. Cas. 314, Amph. 450. Trin. 1186. Epid. 610. Curc. 449. Mil. 803. Pseud. 792. In aliis exemplis *si* notionem particulae *si modo* habet. Mil. 1356. Stich. 563. Cist. 308 al.

2) *si* notionem habet particulae *si modo* (confer supra):

Stich. 112. *Scio ut oportet esse: si sint ita ut ego aequom censeo.*

Poen. 550. *Omnia istaec scimus iam nos, si hi spectatores sciant.*

Capt. 850. *Scis bene esse, si sit unde.*

Curc. 299. *Recte hic monstrat, si inperare possit.*

Terc. Hec. 265. *Illam ad uos redire studeo, si facere possim ullo modo.*

3) Concessiua uis in protasi inest:

Merc. 694. *Decem si ad se uocasset summatis uiros,*
Nimium obsonauit.

[Langen p. 46 recte: «Demipho hat in der That zu grosse Einkäufe gemacht; sie würden noch zu gross sein, selbst wenn er etc.»]

Exempla contulit Kriege (De enuntiatis concessiuis pag. 17, 18). Sunt apud Plautum 27, apud Terentium 2. —

Ad normam posteriorum scriptorum haec quoque exempla esse apparet:

Persa 595. *Uide sis, ego ille doctus leno paene in foueam decidi, Ni hic adesses.*

Mil. 475. *quid proprius fuit,*
Quam ut perirem, si elocutus essem ero?

Cist. 152. *quod si tacuisset, tamen*
Ego eram dicturus deus, qui poteram planius.

Tum pauca sunt exempla, quibus protasis a *nisi* aut *ni* particulis ordiens solutius cum apodosi coniungitur.

Merc. 692. *Parumne hoc est malae rei quod amat Demipho,*
Ni sumptuosus insuper etiam siet.
[*parum ne est* libri.]

Bach. 563. *Quid? tibi non erat meretricum aliarum Athenis copia,*
Quibuscum haberes rem, nisi cum illa, quam ego mandassem tibi
Occiperes tute ⟨*ipse*⟩ *amare et mi ires consultum male.*
[de u. 565 u. infra.]

Ter. Phorm. 546. *Sed parumnest, quod omnibus nunc nobis suscenset senex,*
Ni instigemus etiam, ut nullus locus relinquatur preci?
[*Ne* ACD²EP.]

Cf. Bach. 479. *Nullon pacto res mandata potest agi, nisi identidem*
Manus ferat ad eius papillas, labra a labris nusquam auferat?

Tum illa exempla iam enarrata:

Rud. 1020. *Num qui minus,*
Si ueniat nunc dominus quoiust, ego qui inspectaui procul
Te hunc habere, fur sum quam tu?

Amph. 336. *Non edepol nunc ubi terrarum sim scio, si quis roget.*

Stich. 171. *Nunc si ridiculum quaerat hominem quispiam,*
Uenalis ego sum cum ornamentis omnibus.

(cf. pag. 105).

Nonnulla ex his supra (p. 121—126) allatis exemplis aut corrigere uoluit aut pro spuriis habuit Langen [1]. Sed cum liber eius summis laudibus elatus sit — idque merito — quin ab eo, ut in omnibus rebus sagaciter, in permultis feliciter agente, quasi nouum ordinem natum esse studiorum plautinorum prope arbitrentur, hanc quidem rem, de qua nunc agitur, mea sententia audacius quam uerius tractauit. Exempla a Langeno impugnata inspiciamus:

De Mil. 1356 *Et si ita tibi sententia esset, tibi seruire malui* . . . iam supra dixi (pag. 103).

Rud. 1020 (uide supra): Langen pro *fur sum* scribit *fur sim;* quod minime necesse est. Nam quid interest inter hoc exemplum et illa ibidem allata (Amph. 336, Stich 171)? —

Merc. 692. *Parumne hoc est malae rei quod amat Demipho,*
Ni sumptuosus insuper etiam siet.

Langen, Spengelum secutus, scribit *parumne sit.* Si Langeno codicum scriptura displicuit etiam propter modum coniunctiuum, conferri iubeo exemplum supra allatum Ter. Phorm. 546.

Sed parumnest, quod omnibus nunc nobis suscenset senex,
Ni instigemus etiam, ut nullus locus relinquatur preci.

et aliud apud Pacuuium:

Parumst, quod te aetas male habet, ni etiam hunc ad malam
Aetatem adiungas cruciatum reticentia? —

Brach. 447. *hocine hic pacto potest*

[1]) Beiträge p. 43—53.

Inhibere imperium magister, si ipsus primus uapulet?

Langen scribit (p. 47): «Mit dieser Frage wird Bezug genommen auf das Vorhergehende . . . Das *uapulare* ist also thatsächlich und schon darum muss *uapulat* geschrieben werden.» Sed quid impedit, quominus pro generali sententiam accipiamus [1]). Eodem modo Bach. 479

Nullo pacto res mandata potest agi, nisi identidem
Manus ferat ad eius papillas, labra a labris nusquam auferat?

Langen adnotat: «Auch hier wird der Conjunctiv in *ferat* und *auferat* von vornherein dadurch verdächtig, dass beides thatsächlich der Fall ist . . .»

Quamquam facillime concedo, optime omitti u. 479, tamen propter modum coniunctiuum minime necesse est. Confer etiam Bach. 563

Quid? tibi non erat meretricum aliarum Athenis copia,
Quibuscum haberes rem, nisi cum illa, quam ego mandassem tibi,
Occiperes tute amare et mi ires consultum male.

[Uersus 565 uitio laborare uidetur; editores alii alio modo sanare conati sunt: Ritschl *occiperes tute ipse*. Hermann *ipse occiperes tute*, Ussing *eam ut occiperes*.]

De Poen. 550 *Omnia istaec scimus iam nos, si hi spectatores sciant* et Curc. 299 *recte hic monstrat, si imperare possit* iam disputauimus.

---

[1]) Ita iam Blase, Der Konj. des Präs. i. B. p. 21.

§ 15. De particula **nisi** aduersatiua ui praedita [1]).

Cum inter *nisi* et *ni* in iis enuntiatis, ubi et haec et illa particula usurpantur, nihil discriminis esse iam supra suis locis exposuerim, in quibusdam conformationibus sententiarum altera particula suum domicilium sola sibi constituisse uidetur. Ita *ni* cum in aliis enuntiatis numero inferius sit, praeualet in tritis uulgaribusque dicendi generibus sollennibusque in formulis. Ut iam Schmalz. Synt. § 303: «*Ni* hat bei den Schriftstellern der alten und der klassischen Zeit sich besonders in Formeln der juristischen und sakralen Sprache erhalten, neben welchen dann noch Phrasen der Umgangssprache . . . häufig angetroffen werden». Sic in sponsionis exemplis particulam *ni* solam usurpari uidimus.

Sunt autem aliae formulae, quae solam *nisi* particulam admittunt: inter quas illud dicendi genus nunc tractabo, ubi *nisi* particula aduersatiua ui praedita esse uidetur: nam *ni* particula tali modo adhibita non inuenitur (u. infra). De hoc usu, cum apud posteriores quoque haud raro inueniantur talia exempla, iam multi obiter scripserunt, quos enumerauit Schmalz [2]): Landgraf, Hellmuth, Böckel, Anton al. Neque tamen in diligentiorem rei inuestigationem peruenerunt. De

[1]) De ipsarum particularum usu hoc solum mihi restat curriculum: nam de *ni* Brugmann, de *siue* C. F. V. Müller diligenter egregieque disputauerunt, (etiam apud Tessingium, Synt. Plaut., exempla congesta sunt, quamquam indiligenter). De *nisi si* in calce libri paucis uerbis disputabo.

[2]) Zeitschrift für das Gymnasialwesen p. 102.

usu apud priscos poetas nemo nisi Rotheimer, quantum scio, scripsit: cuius disputatio ut in ceteris ita in hac re neglegentissima aut potius nulla est (Roth. p. 8—10).

Hunc usum explicandum esse quadam breuiloquentia nemo non intelligit: cum autem interdum duriores confirmationes inueniantur, quam ut simpliciter recteque expediri possint, operae pretium esse uidetur perspicere, quibus gradibus hic usus ita progressus sit, ut *nisi* ad similitudinem particulae *sed* tantum non perueniret.

Non dubito, quin principium huius usus petendum sit ex tritissimo illo genere dicendi quale est: *nihil scio nisi hoc (= nihil scio nisi hoc scio) = hoc solum scio.* Qua in formula cum particula *nisi* sola usurpetur, in iis quoque confirmationibus sententiarum, quae ex hoc usu proficiscantur, eandem particulam dominari consentaneum est.

In exemplis longe plurimis non ab illo decurtato genere dicendi *nihil scio nisi hoc* proditur, sed ab hac formula repleta: *nihil scio nisi hoc scio.* Ad quam formulam accurate apta haec exempla sunt *(a)*:

Andr. 664. *Nescio,*
Nisi mihi deos satis scio fuisse iratos qui auscultauerim.
[*satis scio* om. Bentleius]

Phorm. 952. *Nescio,*
Nisi me dixisse nemini certo scio.

Cf. Bach. 324. *Profecto de auro nihil scio nisi nescio.*

Tum in hoc exemplo, ubi apodosis propius definitur sententia interrogatiua:

Rud. 750. *Nam huic altrae patria et parens quae sit profecto nescio:*
Nisi scio probiorem hanc esse quam te, inpuratissime.
[*Nisisi* B *nisi* CDFZ.]

Pro *scio* autem aliud uerbum in protasi poni potest eiusdem fere significationis *(b)*: in apodosi plerumque *nescio* aut simile uerbum legitur:

1) In apodosi *nescio* legitur:

Cist. 3. *soror si mea esses*
Qui magis potueritis mihi honorem ire habitum,
Nescio, nisi ut meus est animus, fieri non posse arbitror.

Eun. 826. *Nescio:*
Nisi amasse credo Pamphilam.

2) In apodosi uerbum eiusdem fere significationis atque *nescio* legitur:

Merc. 252. *Hoc quam ad rem credam pertinere somnium,*
Nequeo inuenire nisi capram illam suspicor
Iam me inuenisse quae sit aut quid uoluerit.

Ad. 544. *Nequeo satis decernere:*
Nisi me credo huic esse natum rei, ferundis miseriis.

3) In apodosi tale uerbum auditur:

Epid. 281. *Quid ego aiam? nisi te conmentum nimis astute intellego.*

Cum pro «hoc esse uerum scio» dici possit *hoc est uerum scio* aut *hoc est uerum ut scio*, hi quoque loquendi modi facile in protasin irrepere potuerunt *(c)*:

1) In apodosi *nescio* legitur:

Cist. 675. *Quamne in manibus tenui atque accepi hic ante aedis cistellam*
Ubi sit nescio, nisi ea, ut opinor,
Loca circiter excidit haec mi.

2) In apodosi uerbum eiusdem fere significationis legitur:

Trin. 233. *De hac re mihi satis hau liquet: nisi hoc sic faciam, opinor,*
Ut utramque rem simul exputem, iudex sim reusque ad eam rem.

Ex hoc lenissimus sane est transitus ad ea longe plurima exempla, quibus uerba sciendi aut opinandi in protasi prorsus omissa sunt *(d):*

1) In apodosi *nescio* (aut *scio* cum negatione) legitur:

Poen. 649. *Nescimus nos quidem istum qui siet:*
Nisi dudum mane ut ad portum processimus,
Atque istum e naui ibi exeuntem oneraria
Uidemus.

Heaut. 541. *Iocon an serio illaec dicat nescio,*
Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.

Heaut. 658. *Nescio, nisi ex ipsa quaeras, unde hunc habuerit,*
Si potis est reperiri.

nisi ut ex BCDE²FGP. *ut* om. E¹ cum A. Hic (sec. A) post *nisi* legitur coniunctiuus iussiua, uel hortatiua ui praeditus. (conf. infra Ad. 784; Aul. 364, 804(?); Stich. 268(?), Cod. calliop. *nisi ut* (conf. Pseud. 1101 *Non edepol scio nisi ut obseruemus quo eat;* infra

Cas. 952. Stich. 268(?). In hoc ex (Stich. 268) *miror quid siet: nisi ut periclum fiat, uisam quid uelit* aut uerba *nisi ut periclum fiat* coniunguntur (Uss.), aut *ut periclum fiat* ad sequens uerbum *uisam* refertur. Atque et hoc et illud fieri posse uidetur: nam, ut ex exemplis supra allatis colligere licet, et *nisi* et *nisi ut* promiscue hoc modo ponuntur. (Ritschl *nisi ut* probasse non uidetur, temere credo)

Phorm. 474. *Ecquid spei porrost? — Nescio. — Ah.*
Nisi Phaedria haud cessauit pro te eniti.

Hec. 192. *Quid egerint inter se, non dum etiam scio:*
Nisi sane curae est, quorsum euenturum hoc siet.
[*Ni sane* P.]

Hec. 279. *nec qui hoc mihi eueniat scio:*
Nisi pol filium multimodis iam expeto ut redeat domum.
[*eueniet* BCEP.]

2) In apodosi uerbum eiusdem fere significationis legitur:

Aul. 804. *Nunc seruom esse ubi dicam meum Strobilum non reperio:*
Nisi etiam hic opperiar tamen paulisper: postea intro
Hunc subsequar.
[U. 805 deleuit Guyetus.]

Stich. 268. *miror quid siet:*
Nisi ut periclum fiat, uisam quid uelit.

[u. 269 duobus modis explicatur, u. supra ad. Heaut. 658]

Eun. 547. *Quid illut mali est? nequeo satis mirari neque conicere;*

Nisi, quidquid est, procul hinc lubet prius quid sit sciscitari.
[*nequeo conicere* A(DG)]

3) Apodosis alio modo conformata est:

Aul. 364. *Quos pol ut ego hodie seruem, cura maxumast.*
Nisi unum hoc faciam, ut in puteo cenam coquant.

Epid. 265. *Mihi istic nec seritur nec metitur, nisi ea quae tu uis uolo.*

Eun. 997. *Non dubiumst quin mihi magnum ex hac re sit malum:*
Nisi, quia necessus fuit hoc facere, id gaudeo
Propter me hisce aliquit esse euenturum mali.

Ad. 152. *Sperabam iam deferuisse adulescentiam:*
Gaudebam: ecce autem de integro: nisi quidquid est
Uolo scire atque hominem conuenire, si aput forumst.

Ad. 784. *quid ego nunc agam?*
Nisi dum hae silescunt turbae, interea in angulum
Aliquo abeam atque edormiscam hoc uilli. sic agam.

Cas. 912. *Profecto hercle hau fuit quicquam holerum:*
Nisi quicquid erat, calamitas profecto attigerat numquam.

Cf. Mil. 377. *Nimis mirumst facinus, quo modo haec hinc huc transire potuit.*
[ubi B²C Ritschl Ussing *nisi mirumst.*]

Haec omnia exempla, quae ex formula *nihil scio nisi hoc scio* profecta esse dixi (*a. b, c. d*: pag. 130—134) cum in quendam ordinem seriemque consistere conatus sim, idcirco contendere minime uolo, hunc usum ita re uera esse progressum, ut certis temporibus certi gradus obseruari possint huius generis dicendi, sed tantum ostendere, qua, si rationem ueramque explicationem horum exemplorum perscruteris, prodire debeas uia. Id tamen non possum non animaduertere, multo saepius inueniri talia exempla apud Terentium quam apud Plautum in eiusmodi potissimum exemplis, quae sub d) collegi.

Tum est obseruandum, quam angustis finibus hunc usum definiuerint. Ut ex exemplis supra allatis cognoscere possis, apodosin certam quandam formam tantum non habuisse: nam semper fere a p o d o s i s n e g a t i u a m uim h a b e t et u e r b u m, q u o d in a p o d o s i l e g i t u r, e s t p r a e s e n t i s t e m p o r i s p r i m a e p e r s o n a e. Quae supra allata exempla repugnare uidentur, reapse ad eandem normam conformata sunt. In Aul. 364 apodosis quae est affirmatiua *cura maxumast* idem ualet atque *magnopere curo* — *uix scio (quo modo)*. Et in quibus exemplis prima persona non legitur, cum ad primam personam tamen spectet sermo, ea eiusdem condicionis re uera esse apparet. Ita *mihi han liquet* (Trin. 233), *non dubiumst* (= *non dubito*, Eun. 997), *mihi istic nec seritur nec metitur* (Epid. 265). In Cas. 912, ubi antecesserunt rogationes Pardaliscae *num radix fuit* et *num cucumis*, in responsis redditis *(non fuit — profecto hercle hau fuit quicquam holerum)*

quasi includitur generalis sententia *haud scio* uel *haud dicere uolo*: ad quam se applicant uerba a *nisi* incipientia.

In apodosi aut uerbum *nescio* legitur (saepissime) aut similia uerba *(non reperio, hau liquet, nequeo inuenire, nequeo decernere, miror)*, aut in similem significationem conuerti posse apodosin uel tale quid audiri, iunctura sententiarum demonstrat, aut denique — id quod raro fit — uerba alius generis leguntur (Eun. 997 *non dubiumst*, Epid. 265 *mihi istic nec seritur nec metitur*).

Restat, ut aliqua exempla, admodum pauca, afferam, quae liberius conformatae sunt. Ubi primum est commemorandum

Eun. 735. *Nihil dixit, tu ut sequerere sese? — Nihil, nisi abiens mihi innuit.*

ubi apodosis uerbum *dixit* est tertiae personae praeteriti temporis. Ceteroquin nil noui praebet hoc exemplum. Nam eadem fere ratione explicandum est, qua cetera iam absoluta. Sententia perspicua et clara est: *nihil dixit? — nihil, neque omnino quidquam fecit, nisi abiens mihi innuit*, aut, si mauis — quod fortasse simplicius est — *nihil dixit? — nihil* (dixit), *nisi* (quod) *abiens mihi innuit*. Nam in *innuit* inest si non «dictum», at tamen quoddam communicationis genus.

Poen. 887. *Numquam edepol mortalis quisquam fiet e me certior*
Nisi ero uni meo indicasso.
[*ero meo uni* libri cum A.]

Structura ex duabus est conmixta: *numquam edepol mortalis quisquam fiet e me certior* [nisi erus unus

meus], et [Numquam edepol mortali cuiquam] *nisi ero uni meo indicasso.*

In Mil. 24 nunc difficultas explicandi interpunctionis signo recte posito remota est:

Me sibi habeto, egomet me ei mancupio dabo:
Nisi unum: epityrum illi estur insanum bene.

colon post *unum* posuit Schreiner [1]).

Denique aliqua exempla proferam, quae a formula *nescio nisi hoc* ita deducta sunt, ut *nescio* quam ad partem spectet quoue in genere ualeat, obiecto aut aduerbio addito propius determinetur.

Most. 278. *Quid olant, nescias, nisi id unum, male ut olere intellegas.*

[*olant* Ritschelius, *male ut* idem. *oleas* libri. *nimis male* Sonnenscheinius. *nimale* BCDF. *nil male* Z.]

Cist. 40. *neque ego hanc superbiai Causa pepuli ad meretricium quaestum, nisi ut ne esurirem.*

Cas. 952. *quid nunc agam, Nescio, nisi ut improbos Famulos imiter ac domo Fugiam.*

[post *agam* interrogationis signum posuit Schoell: *quid nunc agam? Nescio.* Et sic iunctura simplicior. De sententia finali a particula *ut* incipiente u. supra p. 132].

Trin. 1032. *Nam nunc homines nihili faciunt quod licet nisi quod lubet.*

Uideas igitur in horum exemplorum apodosi commemorari id quod 'nescit' (aut 'non facit') is ad quem

---

[1]) Opuscula philol. ad Madvigium a disc. missa p. 162 (Bugge). Recte Bugge confert Mil. 1166 et Men. 610.

spectat oratio, in sententia quae a *nisi* incipit, id ipsum quod 'scit' (aut 'facit').

Prorsus diuersi generis sunt alioque modo explanari debent nonnulla exempla a *nisi* et *nisi si* incipientia, quorum aliqua cum iis, quae nunc tractaui, sine ullo discrimine commiscuit Rotheimer.

1) a *nisi* incipit protasis.

Amph. 460. *Ibo ad portum atque haec ut facta sunt, ero dicam meo:*
Nisi etiam is quoque me ignorabit ...

Amph. 765. *nimis demiror. Sosia,*
Qui illaec illic me donatum esse aurea patera sciat,
Nisi tu dudum hanc conuenisti et narrauisti haec omnia.

Amph. 901. *Sic est, uera praedico:*
Nisi etiam hoc falso dici insimulaturus es.

Amph. 1024. *Sosia. — Ita: sum Sosia, nisi me esse oblitum existumas.*

Apparet in his exemplis *nisi* idem esse atque *nisi forte* [1]). Nam inter haec et illa exempla supra tractata id interest, quod in protasi horum exemplorum quis quandam suspicionem affert, saepius ironice, illic autem in protasi, id quod pro uero ponitur.

[1]) Rotheimerum nonnulla quoque exempla, ubi *nisi forte* aperte legitur, pulcherrima mixtura cum iis, quae antea tractaui, contulisse, delectationis causa adnoto.

Et prorsus eandem uim habere uidentur eae sententiae, quibus

2) a *nisi si* incipit protasis.

Amph. 825. *Nescio quid istuc negoti dicam, nisi si quispiamst*
Amphitruo alius . . .

Curc. 51. *Tam a me pudicast quasi soror mea sit, nisi*
Sist osculando quidpiam inpudicior.

Epid. 22. *Sed ubist is? — Aduenit simul. — Ubi is ergost? nisi si in uidulo*
Aut si in mellina attulisti.

Most. 769. *Nec mi umbra hic usquamst, nisi si in puteo quaepiamst.*

Men. 247. *In scirpo nodum quaeris. quin nos hinc domum*
Redimus, nisi si historiam scripturi sumus?

Truc. 669. *Mirum uidetur rure erilem filium*
Strabacem non redisse: nisi si clanculum
Conlapsus est hic in corruptelam suam.

Quae sit origo particulae *nisisi*, uix dubium esse potest. Recte Brix (ad. Trin. u. 474): «*nisi si* wie im Griech. εἰ μὴ εἰ, worüber C. E. Schneider zu Plat. Civ. IX 581 D: alterum εἰ rem magis incertam reddit, dum exceptioni addit condicionem». Et crediderim, originem huius formulae fuisse ab hoc ipso usu sermonis, quo poneretur post sententias negatiuas *nisi* (= *solum*, «blott»); nam cum tales formulae, quales sunt *non* — *nisi ut*, *nisi quod*, *nisi quia* sim. satis uulgatae fuissent, facile irrepere poterat, cum *non* — *nisi* quasi in unam esset coactum notionem, etiam formula *non* — *nisi si*.

In his autem supra allatis exemplis *nisi si* hanc uim prorsus perdidisse uidetur: nam apodosis modo negatiua modo positiua est. Quin cum ubique (exc. Truc. 669) ironica uis in protasi insit, omnino eandem uim *nisi si* in his exemplis habere uidetur atque *nisi forte.*

Index uersuum critice tractatorum.